DE
EXISTENTIA DEI
DISSERTATIO

AUCTORE

ISIDORO PLANCO

ORD. S. BENEDICTI CONGR. CAMALD.



PANORMI MDCCLXXII.
Excudebat Cajetanus Maria Bentivenga.

****

POTESTATIBUS ANNUENTIBUS.

FRANCISCO . TESTÆ

ARCH . AB . ET . DOM . MONREG
FERDINANDI . REGIS . A . CONSILIO
XIIVIRO . REGNI . SICILIÆ
OB . SINGVLAREM . EIVS
IN . BONAS . ARTES . AMOREM
ET . EFFVSAM . IN . LITTERAS . LIBERALITATEM
IOSEPH . MARIA . BENTIVENGA
IN . SEMINAR . MONREGALEN . CONVICTOR
ET . IN . ARCHIEPISCOP . ACADEMIA
PHILOSOPHIÆ . ET . MATHESEOS . AVDITOR
LIBELLVM . HVNC
IN . QVO . DE . EXISTENTIA . DEI . DISPVTATVR
PRÆSVLI . BENEFICENTISSIMO
PATRI . OPTIMO . ET . INCOMPARABILI
DEVOTVS . NOMINI . MAIESTATIQVE . EIVS
D . D
LIBENS . MERITO

LECTORI

ΦΙΛΟΣΟΦΩ.

ISIDORUS PLANCUS

ORD. S.BENEDICTI CONGR.CAMALDUL.

In Archiepiſcop. Academia Monregal. Metaphyſices ac Geometriæ Anteceſſor.



Agno equidem totius Philoſophiæ bono, atque incremento, quod minime ignoras, Lector Optime, ſuperiore ætate contigit, ut, reviviſcente Sapientiæ ſtudio, ac multo poſt tempore remigrante, excellentior, ac ſapientior in Italicis Academiis philoſophandi ratio inſtituta ſit, ut eam agris iis comparare facilè poſſimus, qui intermiſsà culturà feraciores fieri ſolent, & lectiorem deinde uberioremque ſegetem proferunt. Inhorruerat profectò barbarie diſciplina hæc omnium pulcherrima, & traducta per manus imperitorum ita ſqualebat, ut ipſo ſuo fœditatis aſpectu perſpicaciora etiam ingenia ab ſe omnino repelleret. Sed

posteaquam sapientes atque ingenii magnitudine præstantes viri Geometricas doctrinas ad Philosophiam felici satis omine transtulerunt, ita hæc paulatim caput extulit, squalorem abjecit, incrementum sumpsit, ut jam pristinam dignitatem, majestatemque tueatur. Me sane non latet fore nonnullos e Peripateticorum grege, qui nos reprehendent, quod eam & nos Philosophiam excolamus, quæ Mathematicis jungitur principiis & doctrinis. At eorum imperitiæ, ac præjudiciis obsistere vehementer debemus. Quis enim in ea Philosophiæ luce, in qua Dei immortalis munere versamur, turpiter ignorat nugis ac puerilibus quæstionibus refertam esse eam Philosophiam, quæ nihil Geometrici admixtum habeat? Quis non fatetur a recta philosophandi ratione longissimo eos distare intervallo, qui a Geometricis doctrinis abhorreant? Exploratum scilicet nobis satis jam est ad scientias omnes rectè perdiscendas ita necessarium esse Geometriæ studium, ut eo sublato, vel neglecto, omnis sit quoque pulcherrimarum artium disciplinis sublatus decor, omnis sublata jucunditas. Verum, ut reliquas scientias silentio prætercam, quæ Geometria tanquam firma basi innituntur, sermonem tantummodo instituam de iis, quæ Ecclesiastico præsertim viro dignissima sunt, Philosophia scilicet & Theologia. Quis non ultrò dederit sapientis, ac Philosophi nomen immerito sibi eum prorsus vindicare, atque inanem Philosophiæ umbram & simulacrum sequi, qui Geometriæ principia cum Philosophicis non conjunxerit, atque consociarit? Neque enim vel Gassendi, vel Cartesii, vel immortalis Galilæi, vel divini Newtoni, vel aliorum excellentium Philosophorum, quos hæc nostra tulit ætas, præclaros haberemus libros, ex quibus uberrimi colliguntur

fru-

fructus, si Mathesi multam salutem Ipsi dixissent, nec, veteri excusso jugo, bellum hypothesibus, atque ineptiis, quibus Peripateticorum libri referti sunt, strenuè intulissent.

Porro Logicam inter & Geometriam tam arcta est necessitudo, ut nobilissimæ disciplinæ etsi verbis discrepare, re tamen concinere videantur. Et sanè Dialectica, cujus ope tantummodo facilius inveniri potest id, quod aut verum est, aut ad veritatem proxime accedit, quid aliud est tandem, quam præstantior quædam & utilior mentis Geometria, sine qua in summo errore necesse est homines, atque in maximarum rerum ignoratione versari? Cum enim judiciorum nostrorum errores ex principiis tamquam ex fontibus, non vero ex illationibus proficiscantur, patet principia, quibus vera & falsa judicentur, nulla alia esse posse quam Geometrica, ea nimirum quæ certà vià & ratione cogitationes nostras ita disponant, ut vel inviti, quid verum sit, inveniamus. Quid est autem tam temerarium (*inquit Tullius lib. 1. de Nat. Deor.*), tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, quam aut falsum sentire, aut quod non satis explorate perceptum sit & cognitum sine ulla dubitatione velle defendere? *Atqui Dialectici, quibus vel ipsum Geometriæ nomen fuit invisum, in tam varias & absurdas abjerunt opiniones, tot sermonum ut ita dicam monstra intulerunt, ut subspicari jure possit an se ipsos intelligerent. Non ita Majores nostri, & Eleatenses præcipuè Philosophi Democritus & Zeno, qui omnium primi, teste Clemente Alexandrino* (Lib. 1. Strom.), *Logices præcepta literarum monumentis mandarunt. In eorum enim Schola cum Geometrica ita exculta fuerint studia, ut Geometricarum*

 de-

demonstrationum artem suo sibi veluti jure vindicarent, dubitari vix potest, quin eisdem Analyticæ methodi, qua nihil validius ad veri inquisitionem esse potest, & Syntheticæ, qua nihil ad docendum utilius, præcepta debeamus.

Ad Metaphysicam quod spectat, cum ipsa primùm de universalioribus humanæ cognitionis principiis rationis ope inquirat, cum de animorum natura, de societate mentem inter & corpus, de spiritibus omnibus, de Deo, de Revelatis tractationem eàdem via instituat, cumque tot & tantarum rerum investigationes non a sensibus, sed a ratiocinatione, quæ perfecta sit, pendeant, perspicuum sit neminem, qui Matheseos elementa nondum degustaverit, Metaphysici nomen sibi assumere posse. Et revera si conferas inter se, quæ Metaphysici Geometriæ ignari de Ontologicis principiis, de Deo, de Mundo, de Spiritibus excogitarunt, cum iis, quæ tradiderunt Philosophi Geometrico pulvere imbuti, tanto hæc iis præstare agnosces quanto tenebris lucem. Est enim & Philosophi, & Theologi de Deo Optimo Maximo, de animorum immortalitate habere non errantem & vagam, ut sapientes Ethnici, sed ut Nostri stabilem, certamque sententiam. Præclarè Boetius (Arithmet. lib. 1. cap. 1.): Quod hæc qui spernit, ideſt has ſemitas ſapientiæ (*Geometriam nempe & Arithmeticam*), ei denuncio non rectè philoſophandum. *Et paulo infra:* Conſtat igitur, quiſquis hæc prætermiſerit, omnem Philoſophiæ perdidiſſe doctrinam. *Et Clemens Alexandrinus* (eod. lib. 1. Strom.) *docet* in his diſciplinis, *Geometria & Arithmetica*, purgari a ſenſibilibus rebus animam, & renovari; quo veritatem contemplari queat. *Ipsius verba hæc sunt :* Ἐν τούτοις οὖν τοῖς μαθήμασιν ἐκκαθαίρεταί τε τῆς

αἰσ-

αἰσθητῶν καὶ ἀναζωπυρεῖται ἡ ψυχὴ ἵνα δή ποτε ἀληθῆ διιδεῖν δυνηθῇ. Id vero quis prudens rerum judex audeat negare? Atque ego in hac re plura sciens, prætermitto; quis enim omnia persequatur?

Si vero sermo sit de rebus Physicis & Geometricis, ipsæ & inter se eo copulantur vinculo, ut sine harum adjumento, nihil fermè de aliis statuere possis. Nemo nostra hac ætate profecto ignorat rerum caussas omnes, atque effectus ex variis atque innumeris motus legibus ita pendere, ut eo sublato omnem prorsus elanguescere naturæ vim oporteat. A motu pendent dierum, noctiumque vicissitudines, frigoris & caloris, nivis & pluviæ se se mutuo excipientium varietas tanta, atque anni tempestates omnes; per motum parit terra plantas, pubescunt & nutriuntur arbores, vivunt denique animantia omnia, cum vitam ipsam nonnisi in motu sanguinis, nimirum in circulatione sitam esse intelligamus. Hinc celebre illud Aristotelis effatum: Ignorato motu, naturam quoque ignorari necesse est. *At motus leges ita Geometricis junguntur, ut ab ipsis disjungi, ac divelli nequeant. Ne autem in recitandis exemplis multus sim, satis erit pauca ex multis delibare. Notum satis est in corporibus, quæ motum per curvam lineam absolvunt, duplicem inesse vim, alteram quam appellant* Centripetam, *aliam vero quam* Centrifugam *vocant. Quis vero hujus motus leges explicare se rectè admodum posse putabit, si Geometriæ omnino rudis atque expers fuerit? Compertum quoque est motum, qui ex accelerato, & æquabili componatur, absolvi per curvam parabolicam. Qui vero fieri poterit, ut hujusce motus canones satis intelligas, si proprietates atque affectiones lineæ parabolicæ ignoraveris? Theoriam pendulorum vel per*

ar-

arcus circulares, vel per arcus cycloidales excurrentium, ſex artis balliſticæ problemata, aquarum fluentium curſum, adſcenſus liquorum in tubos leges, quomodo quæſo percipies Geometriæ expers? Cum rationis duplicatæ, *rationis* reciprocæ, *rationis* compoſitæ *nomina audieris, cum denique tot alia acceperis, quæ profectò ex Geometria duci debent, ut rectè Phœnomena explicentur. Ad Mechanices autem leges quod attinet, Virium atque Potentiarum proportionem, atque analogiam qua tandem ratione percipiet Geometriæ ignarus? Totius ſane Staticæ, & Hydroſtaticæ leges, ex quibus univerſa ferme Phyſiologia pendet, ita Geometricis principiis innituntur, ut ſine ipſis fruſtra ad eas animum adjicere cogites. Anatomiæ autem elementa nunquam mehercule vel intelliges, vel aliis recte explicare poteris, ſi a Geometria refugies. Quomodo enim abſque ulla verum Geometricarum cognitione demonſtrabis cordis ventriculos eſſe æquales, niſi agnoveris eoſdem eſſe inter ſe in ratione reciproca, ita ut quod uni deeſt ob minorem amplitudinem ſarciat velati major longitudo?* Ea igitur eſt conſenſio (*ut verbis utar Cl. Joan. Poleni in Oratione elegantiſſima, quam Patavii habuit de Matheſis utilitate*), ea eſt conſenſio inter Mathematicam ſcientiam, & naturalem Philoſophiam, ut vix poſſis de una cogitare, quin altera ſtatim tibi obverſetur. *Et ſane ſi hiſtoriam conſulas, facile agnoſcere poteris veteres omnes Philoſophos, qui clariſſimi habentur, Thaletem Myleſium, Pythagoram, Anaxagoram, Democritum, Platonem divinum prope virum, omneſque, qui ex Platonis Academia Philoſophi extitere, Geometriæ ita vehementer incubuiſſe, ut ſine eadem ſibi ſapientis nomen vindicare auſi non fuerint. Itaque Xenocrates ei, qui Geometriæ rudis atque expers*

pers ipsum alire cupiebat: Abi, *inquit*, ansis enim & adminiculis Philosophiæ cares. *Hinc Academiæ foribus cælata hæc legebatur inscriptio*: οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω, *i. e.* Nullus Geometriæ expers accedito.

Ad Theologiam tandem quod attinet, dici satis nequit quantum adjumenti Geometricæ disciplinæ ad Sacras Literas rectè perdiscendas, atque explicandas conferant. Videsis pereruditum Libellum, quem Carolus Rabby conscripsit, & Guidoni Grandio dicavit de Mathematicarum Disciplinarum ad Theologiam utilitate, ipsarumque in ea usu, & *Opusculum Thomæpii Maphæi* de usu Matheseos in Theologicis, *quod habemus in* Tom. 2. Collectionis Calogerianæ pag. 355., & *librum Joannis Craigii* Prin. Mathem. Theol. Christ. Lond. 1699. *Sed pluribus rem nobis exponit magnus Ecclesiæ Doctor Augustinus, qui cum ex Sacris Literis edoctus optime esset Deum ad Arithmeticæ, Staticæ, ac Geometriæ Leges omnia condidisse, libro* 2. *cap.* 16. de Doctrina Christiana *docuit* sine numerorum scientia, multa non intelligi a multis, quæ translatè, ac mysticè in scripturis posita sunt. *Hoc idem docet Hieronymus in* Ezechielis Caput IV., *asserens* magnam inesse numeris vim ad multa mysteria in Scripturis intelligenda; *quo pariter loco Geometriam magnam afferre Theologis utilitatem tradit. Quod non ignorans Gregorius Nazianzenus summis laudibus Divum Basilium Præceptorem suum ad cœlum extollit, quod in Astrologia, Geometria, Numerorum cognitione, cæterisque scientiis Mathematicis non mediocriter fuerit versatus. Sed quorsum hæc omnis spectat oratio? Ut intelligas nimirum, Lector Optime, nos jure reprehendi non posse si in Metaphysicis etiam eidem illi viæ, quam præsertim præstantissimorum omnis memoriæ hominum signatam, atque impres-*

sam

ſam veſtigiis videmus, ipſi quoque nos toto pectore, omnique animi contentione committimus. Quæ cum ita ſint nemo quoque jure reprehendere poterit Geometricam methodum, quam modo in demonſtranda Dei ejuſque attributorum exiſtentia ſecuti ſumus. In hoc autem quantum profecerimus & Tu, & alii judicabunt. Tibi quidem, ſi conſequar, ut ſtudiorum noſtrorum ratio & diligentia probentur, ego me, quæ ſumma ſunt, omnia conſecutum putabo. Vale.



DE DEI EXISTENTIA

PROLEGOMENA.

I. *De diſcrimine quod intercedit Revelatam inter & Naturalem Theoſophiam.*



Heoſophia nihil aliud eſt, quam ſcientia Dei, divinarumque rerum, & eorum omnium, quæ ad Deum pertinent. Eam tribui in Naturalem & Revelatam nemo eſt qui ignorat. Hæc principiis revelatis, illa naturæ ideis, & Phœnomenis innixa de Deo, diviniſque rebus diſſerit. At quamquam jamdudum de Naturali Theologia tractationem Metaphyſici, de Revelata vero Theologi ſibi ita vindicarunt, ut provincias inter ſe partiti ſint, attamen utrumque hoc Theologiæ genus excolendum eſt ei, qui omnibus numeris abſolutus Theologus eſſe cupiat, ut nimirum idem, & quæ ratione duce comperta fieri ſolent, & quæ docet Revelatio, in promtu habeat. Magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus utrumque ſequi ſe ſolitum ſcribit. *Ego*, inquit lib. 3. contra Accademicos cap. 20., *ita ſum affectus, ut quid ſit verum, non credendo ſolum, ſed etiam intelligendo apprehendere impatienter deſiderem*. Rationem humanam *particulam* veluti quamdam eſſe *æternæ Dei rationis*, & *radium intellectus Dei* ſcribunt ſæpenumero Juſtinus Martyr, Origenes, Clemens Alexandrinus, La-

ctantius, aliique. Sed non leve est inter Naturalem, & revelatam Theologiam discrimen. Angustior & imperfectior illa est, hæc amplior & perfectior. Scilicet lumen naturæ exiguum admodum est, & magna ex parte ignorantiæ, & appetionum tenebris obsitum, lumen vero revelatum & longius latiusque patet, & purius est atque sincerius. Hinc Apostolus ad Corinthios scribit: *Loquimur sapientiam Dei in Mysterio, quam præfinivit Deus ante sæcula ad gloriam nostram, quam nemo Principum hujus sæculi agnovit*. Et quamquam ipse Paulus in Epistola ad Romanos fatetur ope naturalis rationis Philosophos Deum agnovisse, nihil aliud tamen intelligit nisi existentiam, & prima quædam ac præcipua supremæ ac præstantissimæ alicujus caussæ attributa. Itaque addit *eos in cogitationibus suis evanuisse*, nec coluisse ut Deum, quia nempe & in plerisque dubii fuerint & confusi, & notionem illam divinitatis vel erroribus turpissime fœdaverint, vel aliis factarum rerum imaginibus corruperint. Multa ex veterum Philosophorum Libris, multa ex Poetarum sententiis, si per tempus liceret, commemorare possem, quibus ea confirmentur, quæ dubia nemini debent esse. Id sane animadvertant velim ii, qui rationem naturalem in Adæ filiis stultè admodum supra Revelationem extollunt. Quod quid est aliud, quam, dum rationem tuearis humanam, cum ratione ipsa bellare? Recta enim ratio suadet hominem, postquam fœlicitatem sibi ipsi invidisse novimus, eumdemque a beatissimo, in quo primum a Deo locatus fuerat, domicilio, fuisse jure dejectum, sine communicatione divinæ sapientiæ nec actiones ad æternæ rationis normam dirigere posse, nec ea amplecti, quibus constitutum sibi a supremo Conditore finem consequatur. Quamobrem ea, quæ ad Deum præsertim spectant, ab

iis,

iis, qui *a Deo sunt orti*, perdiscenda sunt, quemadmodum loquitur Plato in Timæo. Præclarum est quoque illud Euripidis in Helena: *Neque compertum habeo quid certum sit in rebus humanis*; *Deorum verba esse vera reperi*. Ipsi ergo Gentiles Philosophi humanæ mentis imbecillitatem ad unum omnes agnoverunt, quorum testimonia congessit Auctor Opusculi Gallicè editi *de Imbecillitate Mentis Humanæ*.

Sed inde præterea Theologiæ naturalis imperfectio dignoscitur, quod nemo Philosophorum fuerit, qui, dum solam naturæ rationem sectaretur, non aliqua turbaverit circa naturam Dei & spirituum, originem Mundi, & providentiam, officia erga Deum & homines. Materiem omnes fermè Græci Philosophi, ne Platone quidem excepto, æternam esse putarunt; omnem providentiam, fortassis etiam divinitatem omnem, tum omnia divina & humana jura pedibus subjecere Democritici & Epicurei. *Pantheismum* docuerunt Pythagorici; *Fatum* Stoici agnoverunt. Itaque jure veteres Ecclesiæ Patres, in primis Epiphanius, conqueruntur complures hæreses ex Philosophia, seu potius Philosophiæ abusu in religionem profectas esse. Neque vero veteres solum Philosophi, sed ex recentioribus quoque complures in hujusmodi incidere possunt reprehensionem. Profectò ex nimia Cartesii admiratione maximi in Christiana Republica errores exorti sunt, inde enim extitit *Spinozismus*, quod a doctis viris observatum satis est. Ex renovato *Epicureismo* Physico emersit *Hobbesianismus*, atque ex Chymistarum secta *Phanatismus*; & sunt, qui tradunt ex Newtonianis doctrinis *Pantheismum* renatum esse. Quod diximus non ut Theologus hæc ignoret, quæ ei hac præsertim ætate sunt necessaria, sed ut ne in cujusquam verba juret, neque a ratione

ultra quam par est se abripi sinat.

Illud quoque accedit maximum discrimen, quod Theologia naturalis neque perfectam doctrinam nobis exhibet, qua mores nostros componere possimus, neque ea suppeditat, quibus cum Deo, a quo Genus humanum per Protoparentis peccatum descivit, in gratiam redeamus. Hinc Apostolus *ad Cor.* 1. *cap.* 1. hæc habet: *Scriptum est, perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* Id exemplo omnium fermè Philosophorum, qui Ethnici vocantur, compertum satis fieri arbitramur. Quum enim solam naturæ rationem, velut optimam pietatis & sanctitatis ducem sectarentur, nihil in eorum libris, nihil in eorum vitæ ratione, & morum disciplina reperimus, quod non summam impietatem, atque superstitionem redoleat. Quis unquam eloquentius de sanctitate, & pietate adversus Deum scripsit Epicuro (*Cic. de Nat. Deor. lib.* 1.)? At dum Deos ab hominibus colendos dicit, Deum sic feriatum vult cessatione torpere, ut, si se commoverit, timendum sit ne beatus esse possit. Atque ita dum Deos nihil curare, nihil agere docet, omnem funditus evertit Religionem. Quæ enim pietas ei debetur, a quo nihil acceperis? Quæ potest esse sanctitas, si Dii humana non curant? Egregiè ac sæpenumero hac de re disputant Patres. Unius Lactantii verba afferemus, quæ elegantissima sunt: *Doctrinam Dei*, inquit Lib. VII., *sequimur, qui scire solus potest, & revelare secreta, cujus doctrinæ Philosophi expertes existimaverunt naturam rerum conjecturà posse comprehendi, quod nequaquam fieri potest, quia mens hominis tenebroso corporis domicilio circumsepta longè a Dei perfectione submota est. Unde nobis aliquo lumine opus est ad depellendas tenebras, quibus offusa est hominis cogitatio. Lumen*

au-

autem mentis humanæ Deus est, quem qui cognoverit, & in pectus admiserit, illuminato corde mysterium veritatis agnoscet, remoto autem Deo, cælestique doctrina, omnia erroribus plena sunt. Quod autem a Lactantio dicitur de humanæ mentis erroribus, idem dictum esto de voluntatis inconstantia & perturbatione. Locus est egregius Leonis Magni *de Vocat. Gent. Lib. 1. cap. 6. Hæc*, inquit, *voluntas vaga, incerta, infirma ad efficiendum, facilis ad audendum, in cupiditatibus cæca, onoribus tumida, curis anxia, suspicionibus inquieta, gloriæ quam virtutum avidior, famæ quam conscientiæ diligentior, & per omnem sui experientiam miserior fruendo his quæ concupierit, quam carendo, nihil in suis habet viribus, nisi periculi facilitatem; quoniam voluntas mutabilis, quæ non ab incommutabili voluntate regitur, tanto citius propinquat iniquitati, quanto acrius intenditur actioni.* Hæc Leo. Ceterum non ita hæc dicta velim, quasi aut is, qui in Theologiæ studium se se abdere cupiat, omnem prius rationem excutere debeat, & nullus naturalis rationis sit in Theologia usus, aut nihil omnino de Deo, rebusque divinis ex Philosophia veluti excerpere possimus. Alioquin & stupidi tantum & Philosophiæ rudes homines Theologi summi esse possent, neque sane esset cur nos de supremi Entis existentia disputationem susciperemus. Imo oportet ut in hac quæstione rationem velut optimam ducem sequamur, si non omnino improspere cum Atheis bellandum sit, qui argumenta ex scripturis depromta irrident, atque contemnunt. Itaque cogitandum est principia quidem rationis naturalis suos habere terminos, quos qui prætergrediatur, totum rectæ rationis usum pervertat, eadem tamen esse prima Dei, divinarumque rerum intelligendarum quasi se-

mi-

mina, & eum, qui iisdem intemperanter minimè abutatur, plurimum in Dei ſcientia proficere poſſe, iiſque armis pugnare, quæ in anguſtum admodum locum Atheos adducant. *Principiorum naturaliter notorum*, inquit D. Thomas, *cognitio nobis divinitus eſt indita, cum Deus ipſe ſit Auctor naturæ noſtræ, eaque principia divinâ ſapientiâ contineantur.*

II. *De Atheiſmi cauſſis.*

QUamquam ſupremi atque infiniti Entis opinio omnium pulſat animos, nulluſque etſi perditus plane & amens poteſt cognatum numen ex animo divellere, attamen ſunt, qui non modo putant de Dei exiſtentia dubitandum eſſe, ſed invitum & repugnantem animum in errorem omnium maximum rapere nituntur, & Deum non eſſe temerè quidem 'ſed facile pronunciant. Audiamus impudentiſſimi Athei verba apud Q. Sectanum Satyr. 1. lib. 1.

Maxima pars hominum pallet formidine Divum,
Dum templa & ſacras jaculantur fulmine turres;
Nec pudet ante aras, delubraque ſurda paciſci
Mille animam votis, tuti velut otia cœli
Sollicitent caſus, noſtræque pericula vitæ.
Hos ego non tantum pecudes ratione carentes
Expungo ſapientum albo, quos vana coercet
Religio, cæcaque ſuperſtitione laborant.
Num ſanus ille fuit, Jovi qui fervida primus
Tela dedit, flammamque ſacram, noſtriſque minacem
Frontibus impoſuit dextram, mentemque ſeveram
Qualibet humani ſcrutantem crimina cordis?
Haud equidem credo; ſed rerum inſcitia torſit
Principio mortale genus, gelidoque medullas

Ter-

Terrore implevit. Nostra est dementia cælum,
Nostraque de cælo fecit formido Tonantem.
Scilicet aut nullus Deus est, aut immemor usque
Quidquid agant homines, tutusque idemque beatus
Ambrosiæ latices, & longa oblivia potat,
Nec nostro aut fletu, nostrisque doloribus unquam
Flectitur.

Si autem ex nobis sisciteris cur inter homines, eos quoque, qui in Christiana Republica nati, atque alti sunt scelesti quidam reperiantur, qui rerum omnium Creatorem & Dominum minime agnoscere velint, vel certe risu excipiant sanctissima Religionis dogmata, & jura omnia divina atque humana pedibus subjiciant, facilè respondebimus tantæ miseriæ caussam petendam esse ex crassiori quadam ignorantia, cujus remedia ne pati quidem possunt. Equidem experiundo satis novimus complures ita vivere, ut pecudum more nihil altum unquam suspiciant, & rationis lumine rectè uti nesciant, cujus sane adjumento principiorum, quæ clara sunt atque facilia, cognitionem sibi comparare nullo negotio possent. Nimirum toto vitæ tempore otio miserrimi languent, & animum ita hebescere sinunt, ut inter eos & bruta nullum ferme discrimen tandem agnoscas. Atheismi quoque pestis manat & fluit ex corrupta morum disciplina. Eos scilicet haud ægre invenies qui voluptatibus ita indulgent ut omnibus, quæ ad potiundum incitant, per summam intemperantiam frui velint, atque in iis beatitatem collocent. Itaque extinctum in hoc pestilentissimo hominum genere rationis lumen facile dixeris, eorumque vicem dolere satis non poteris. Mirum igitur esse non debet, si nullo veritatis inquirendæ studio teneantur, & ipsas naturæ leges susque deque habeant, ac inordinatis animi af-

fe-

fectibus parere quodammodo cogantur. Sed inter Atheorum gregem complures sunt, qui optimis, si diis placet, rationibus innixi sibi suadent argumenta, quibus Dei existentiam probant Philosophi, imbecilla esse, si cum iis compares, quæ Deum nullum esse commonstrare videntur. Si eosdem audias, res est extra dubitationem posita; ajunt enim in hujusmodi quæstione definienda se plurimum temporis & laboris consumpsisse, & præjudicatis solutos opinionibus judicium tandem tulisse. Inter hos principem locum obtinent, ut ego quidem opinor, Spinoza & Hobbesius, cum quibus congredi conati sumus. Hæ sunt præcipuæ Atheismi caussæ. Qui plura in hanc rem desiderat, consulat *Art.* Atheisme *Encyclop. Tom.* 1. *pagg.* 777. *edit. Ligurn.*, ubi sic de Spinoza loquitur Cl. Auctor: *Parmi les modernes, il n'y a d'Atheisme systematique, che celui de Spinosa.*

III. *De Hobbesio.*

Malesburiæ, quod est Angliæ Oppidum, lucem adspexit Hobbesius anno 1588. Inter alios libros, quos in vulgus protulit, celeberrimus is est, quem primùm *de Cive* conscripsit, in quo multa alia peccans magno verborum apparatu demonstrare nititur Hominem ad bellum naturà ferri, & ratione tantummodo moveri, ut pacem deinde pactorum ope & societatis exoptet, & quærat. Tam absurdum systema probatum fuit Gassendo in primis (*Vid. Budd. histor. philos. pag.* 512.), & Puffendorfio (*Vid. Præf. in lib. de Jur. Nat. & Gent.*). Imo Velthuysenius quidam, cum nonnulli animadverterent ab Hobbesio id tolli, quod maxime proprium esset optimæ præstantissimæque natu-

ræ, librum *de Cive* ab omni vel minimo errore conatus est liberare, editâ Apologiâ (*de Princip. Just. & Decor. e. c.*), qua nihil sane imbecillius. At non defuerunt clarissimi viri, qui invictè admodum demonstrarunt istiusmodi belli mutui suspicionibus ipsam naturam reclamare. In his primas tenent Cumberlandus (*Disquis. Philos. de Legib. Natur.*), Sharrockius (*De Offic. secund. Jus Natur.*), & Coquius (*Anatom. Hobbesian.*). Edidit & alterum librum Hobbesius, cui titulus *Leviathan*, illumque eo fine conscripsit, quemadmodum nonnulli arbitrantur, ut effrænem Angli populi furorem suis veluti coloribus exprimeret. Cum enim Ipse a partibus Caroli Regis esset, totus in eo erat, ut Democraticum, & Monarchicum regimen everteret. Itaque hoc in libro docet nullam sine imperio pacem esse posse, nec imperium sine armis, nec arma sine Principe. In libro autem de *Cive* (*Cap.* XII. XIV. XVII.) jam statuerat a Principis voluntate rationes boni & mali pendere, ipsamque Religionem, ita sane ut hæc absque Regis assensu devincire animos nequeat. Singulas Hobbesii Propositiones, seu potius errores omnium maximos enumerat Bruckerus (*Histor. Critic. Philos. Vol.* 5. *pag.* 182.). Tandem in eo libro, quem *de Libertate*, & *de Necessitate* Hobbesius scripsit adversus Bramhallum, tradit nihil esse omnino animum, & nomen libertatis totum inane esse. Quamobrem merito ipsum in Pantheistarum, & Atheorum ordinem adlegerunt Blentejus (*De Stult. & Irrat. Atheis. pag.* 52.), & Parkerus (*De Deo disput.* 1. *pag.* 95.); præsertim cum ipse Hobbesius (*Leviath. cap.* 29. *& de Civ. cap.* 12. §. 1.) clarissimis verbis docuerit, admissa Dei existentia, omnia confestim vincula societatis dissolvi, & de humanis legibus, & de Principum incolumitate actum planè esse. Sed, ut fieri solet, ipsum de

 Atheis-

Atheiſmo purgare conati ſunt Arnoldus (*Hiſtor. Hæreſ. & Eccleſ. P.2. lib. 16. cap. 17.*), & Judlingius (*Obſerv. ſelect. Vol. 1. obſerv. 2.*). Scilicet nulla eſt tam abſurda doctrina, quod ſuum non habeat Patronum. Qui plura de Hobbeſio deſiderat, Blackburnium (*Vit. Hobbeſii an. 1681. Carolopoli*) conſulat, & Wodium (*Hiſtor. Oxonienſ. Univerſ. Lib. 2.*).

IV. *De Spinoza*.

Judæis ex parentibus naſcitur Spinoza Amſtelodami anno 1681. Dum adhuc eſſet in vivis, edidit *Tractatum Teologico-Politicum*, in quo revelationem abjecit, Deumque cum Mundo turpiter confudit. Poſt illius mortem prodiere *Ethica* & *Politica*. Dici ſatis nequit in quot ipſe errores ſit lapſus, vir ceteroquin ingenio præſtans, & cum ſummis Philoſophis facile comparandus. Sed vaferrimus Hebræus omnia in ejus operibus Geometrico quodam apparatu ita diſpoſuit, ut nihil fortaſſis ſit amplius, quod in hac re deſiderare poſſis. Hinc Noſtri rectè ſtatuunt Spinozam Atheos omnes & Pantheiſtas tum veteres tum recentiores aſtutia & impietate viciſſe. Celeberrimum eſt illius ſyſtema de Subſtantia unica (*Eth. Par.* I. *Prop.* 5.), & æterna (*Ibid. Prop.6.*), cui ineſſe bina docuit attributa, extenſionem nimirum & cogitationem (*Eth. Par.* 2. *Prop.* 1. & 11.). Scilicet tradit res omnes illorum attributorum modificationes eſſe ita ſane, ut corpora modi ſint extenſionis infinitæ, ſpiritus vero infinitæ cogitationis (*Ibid. Par.*I. *Cor. Prop.* 5.). Subſtantiam hanc unicam, quam Deum eſſe dixit (*Ib. Prop.*IV.), araneæ comparavit, quæ telam attexat. Res enim omnes, quæ nos circumſtant, fila quædam eſſe ſibi ſuaſit ex Dei veluti viſceribus texta atque elaborata.

Ut

Ut autem facilius tam absurdo systemate deciperet incautos, novas quasdam de Substantia, de Attributis, & de Modis Definitiones attulit, quæ a veritate nimium quantum aberrant. Definitio Substantiæ a Spinoza allata hujusmodi est: *Per substantiam* (Part. 1. Prop. 7.) *intelligo id, quod in se est, & per se concipitur*. Definitio vero attributi: *Id quod intellectus de substantia percipit tanquam ejus naturam constituens*. Miramur autem tantum ingenium in tam leves, ne dicam in tam ineptas sententias incidisse. Sed nonnulli putant viam, qua Spinoza ad Polytheismum pervenit, eidem a Cartesio commonstratam fuisse. Cartesius (*Part. 1. Princípior. art. 51.*) tria hæc statuerat: I. Illud esse verissimum, quod in idea clara continetur. II. Unicam tantum esse posse substantiam. III. Res omnes viribus ad efficiendum aptis ita carere, ut omnis motus a Deo tantummodo sit. Jam vero, si quosdam audias, ex prima Cartesii lege effici putavit Spinoza nullam esse Creationem, quia clara & evidens idea suadet ex nihilo nihil omnino fieri. Secunda lex hominem Atheum docuit nullum esse discrimen materiam inter & Deum; non intellecta enim creatione, & admissa materiei æternitate, illud sua sponte fluebat, ne duplex existeret substantia, Deum esse materiam. Ex tertio denique Cartesii placito didicit Hebræus Philosophus corpora divinæ extensionis modos esse, & humanas animas modos divinæ cogitationis. Amotis namque viribus effectricibus, ipsisque Deo tantum tributis, consequens erat divinæ substantiæ partes a partibus aliis fieri non posse, sed omnes ex necessaria quadam congenitaque Dei facultate a semetipsis esse. En originem perditissimi Spinozismi. Hinc Joannes Regius librum edidit, qui inscribitur: *Cartesius verus Spinozismi Architectus*. Verum, quamquam minime

 ne-

negamus Cartesium, dum adhuc viveret, de Atheismo expostulatum fuisse cum a Martino Schuokio, tum potissimo a Gisberto Voetio, arbitramur tamen Spinozam Cartesianis sententiis, & principiis intemperanter abusum fuisse. Principio, qui tradunt ideam claram esse verissimam, nunquam ad id se adigi sentient, ut fateantur nullam esse creationem. Nulla enim clara & evidenti idea edocemur omnia ex re aliqua fieri: imo Deo vires non deesse, quibus e nihilo educat spiritum & materiam, clare agnoscimus. Deinde etsi materia ab æterno extitisset, non sequitur tamen eamdem cum Deo confundi posse, quamvis substantiam unicam admiserit Cartesius. Ipse etenim nomine substantiæ rem commonstravit, quæ alià non indiget ad existendum; cumque hoc pacto Deus solus existeret, hinc unicam tantummodo esse substantiam docuit. Ceterum, quum substantia nihil sit aliud, quam res, quæ accidentibus, seu proprietatibus constat, & subsistat in semetipsa, innumeras fermè substantias agnovisset. Cumque revera hujusmodi substantias agnoverit Cartesius, quarum aliis cogitationem, extensionem aliis tribuit, vehementer erravit Spinoza, qui Deum materià ineptè miscuit, & omnia turbavit. Tandem falsum omnino est, ut patet, caussis secundis vires ad efficiendum deesse. Sed fingamus, si libet, verum esse Cartesii principium, non videmus tamen quomodo ex eo sequi possit omnia esse Dei modos. Si enim in Spinozæ sententia a semetipsis sunt modi, ergo a Deo ipso vim omnem effectricem abesse fateatur necesse est. Nihil de compositione dicimus, nihil de vicissitudinibus, quibus obnoxius esset Deus, si Spinozæ dogmata veritati consentanea essent. Absurda omnia, quæ ex hoc tam impio systemate manant ac fluunt, enumerat Baylius (*Dict. Crit. art. Spinoza litt.* N.) prolixè, & eleganter.

ter.

ter. Quamquam autem res ita se habet, cogitandum tamen non est impium Spinozæ systema ab eodem adinventum fuisse. Animadvertunt enim Eruditi illud multo ante Spinozam pluribus & Philosophis & Nationibus probatum fuisse. Mundanam quamdam animam per Universum diffusam Pythagoram, Platonem, & Socratem agnovisse testantur Tullius (*lib.* 1. *de Nat. Deor.*), Plutarchus (*De Plac. cap.* 3.), & Lactantius (*Inst. lib.* 1. *cap.* 5.). Idem Tullius (*eod. lib.*) tradit Chrysippum docuisse *vim divinam in ratione esse positam, & universæ naturæ animo atque mente; ipsumque Mundum esse Deum*; Democritum vero in ea fuisse opinione, ut putaret *imagines divinitate præditas inesse universitati rerum; tum principia, mentesque, quæ sunt in eodem universo, Deos esse*. Hinc Virgilius

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Aristoteles etiam, ut animadvertit Thomasius, putavit omnia Deum condidisse *naturali quadam necessitate*; atque idcirco Aristotelem Spinozæ præivisse pluribus demonstrat Walchius in Dissertatione *de Atheismo Aristotelis*. Quid de Deo, ejusque libertate senserint Stoici, paucis complexus est Buddeus in Epitome *Histor. Phil. cap.* 4. §. 38. Arbitrabantur nimirum Stoici I. *Mundum hunc componi ex materia & anima Mundi*. II. *Cuncta fato regi, cui ipse Deus sit obnoxius*. Nomine autem fati intelligebant *rerum omnium immobilem & immutabilem ordinem, aut vicissitudinem necessariam Mundi creati & increati*. Non injuria igitur & Jacobus Thomasius (*in Dissert. de Exustione Mundi Stoica*), & Joannes Franciscus Buddeus (*de Atheismo & Superstit.*) censent Spinozismum in hac Stoicorum doctrina contineri. Idem Buddeus, & Hieronymus Gudlingius, & Petrus Baylius

(*in*

(in Dict. art. Xenoph.) inter Spinoziſtas referunt Eleatenſes Philoſophos , quorum erat dogma , *unum eſſe omnia , idque eſſe ens infinitum , ſcilicet Deum*. Inter Philoſophos tandem, qui Deum affirmarunt eſſe materiam , formas vero rerum accidentia , recenſet Albertus (*In* I. *Phyſ. tract.* 3. *cap.* 13.) Alexandrum Epicuræum . Alexandro adjungi ſolet David de Dinant , & Almericus ejus præceptor, de quo hæc Gerſon (*Tract. de Concord. Metaph. cum Logic. part.* 4.) retulit : *Omnia ſunt Deus ; Creator & creatura idem. Idem creat & creatur . Deus ideo dicitur finis omnium quod omnia reverſura ſunt in ipſum , ut in Deo immutabiliter conquieſcant, & unum individuum atque incommutabile permanebunt*. Almerici errores refellit Divus Thomas in libro *Cont. Gent. pag.* 17. Abelardus tandem , & Jordanus Brunus ſubſtantiam primam, ſeu materiam univerſi primam, Deum eſſe dixerunt. Inter nationes , quæ in ea fuerunt hæreſi, in qua fuit deinde Spinoza , Petrus a Valle (*Itiner. vol.* 3. *pag.* 394.) Mohammedanos memorat , qui putabant omnia , quæ continentur in hac rerum univerſitate , a Deo non diferre . His Pendetios Bernerius addit (*Contin. Monum. de Imper. Mogoliſt. pag.* 202.). Neque igitur rei novitate exultare poteſt Spinoza . Sed de Spinoziſmo ante Spinozam videſis Diſſertationem Buddei, quam ſuperius laudavimus . Prætereundi denique non ſunt qui Spinozæ vitam ſcripſerunt , & errores confutarunt . Inter eos , qui Spinozæ vitam & res geſtas literis mandarunt , primas tenent Collerus (*Vit. Spinoſ.*) , Reimannus (*Hiſtor. Theolog. Judæor. lib.* 2. *Cap.* 18.) , Schudtius (*Memorabil. Judaic. par.* 1. *lib.* 4.) , Baſnagius (*Hiſtor. Judæor. par.* 9. *cap.* 37.), Jacquelotius (*Vit. Spinoſ.*) , & Jenichius (*Hiſtor. Spinoziſmi*) . Inter eos vero qui enixe operam in Spi-

no-

noza confutando impenderunt, celebriores sunt Blyenburgius (*Verit. Relig. Christ.*), & Bredenbourgius (*Enerv. tract. Theolog. Polit. anno* 1675.), & complures alii, quorum nomina collegit Baylius (*Dict. Crit. art. Spinoza.*). His statutis, longa de nostra disputatione detracta oratio est. Et quoniam, ut monet Tullius, omnis quæstio a definitione suscipi debet, ut, quid sit illud, de quo disputatur, explanetur, nonnullas hic attulimus definitiones, quæ hujusmodi sunt.



Opinionum commenta delet dies, naturæ judicia confirmat.

Cic. de Nat. Deor. lib. 1.

Philosophia viro prodest plurimum, si Religione imbutus sit animus.

Lactan. Lib. IV. cap. 1.

DEFINITIONES.

I. NOmine *entis* intelligimus id, quod exiſtere poteſt, ſeu cujus exiſtentia non repugnat.

II. *Ens neceſſarium* illud eſt, cujus exiſtentia eſt abſolutè neceſſaria, ſeu, quod idem eſt, quod rationem exiſtentiæ ſuæ ſufficientem in eſſentia ſua habet.

III. *Eſſentia* definiri poteſt id, quod primum de ente concipitur, & in quo continetur ratio ſufficiens cur cætera vel actu inſint, vel ineſſe poſſint.

IV. *Neceſſarium* dicitur id, cujus oppoſitum impoſſibile eſt, ſeu contradictionem involvit.

V. *Contingens* eſt, cujus oppoſitum nullam contradictionem involvit, ſeu quod neceſſarium non eſt.

VI. Dei nomine intelligimus *Ens a ſe*, ens nimirum quod exiſtit neceſſitate naturæ, & in quo continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ Mundi hujus adſpectabilis.

VII. Ex nihilo oriri dicitur aliquid, dum ita exiſtere incipit, ut nihil ejus antea extiterit.

AXIOMATA.

I. PEr ſe exiſtere, & ſe ipſum producere, contradictorium eſt.

II. Quod abſolutè neceſſarium eſt, *contingens* eſſe nequit.

III. Quod neceſſariam habet exiſtentiam, immutabile eſt.

IV. Id quod contingens eſt, obnoxium eſt mutationibus.

V. Infinita series contingentium sine ente necessario, a quo pendeant, repugnat.

VI. Nihilo nihil tribui potest; caret modis, & proprietatibus.

VII. Ex nihilo nihil potest existere.

VIII. Posito effectu necessariò intelligitur caussa, etsi eadem lateat.

IX. Caussa effectui semper praeexistit.

X. Aliquod ens modo existit.

XI. Id quod dicitur de natura *Totius*, idem dici debet & de natura partium.

POSTULATA.

I. Aliquod ens modo existit, quod semper minime extiterit.

II. Nihil est sine ratione sufficiente cur potius sit, quam non sit.

III. Si existentiae ratio sufficiens in essentia entis continetur, ens necessariò existit, atque existentia ejus absolutè necessaria est.

MONITA.

I. Axiomatis vocabulo non intelligimus solum prima illa principia, quae per se se ita clara & certa sunt, ut demonstratione non egeant, sed intelligimus quoque eas omnes Propositiones, quorum certitudo in hebetiores etiam oculos statim incurrit, quaeque ita pariter evidentes sunt, ut de iis nulla dubitatio suboriri possit. Infinitae autem sunt ferme Propositiones, quae etsi inter prima

prin-

principia minime recenseantur à Philosophis, eam tamen evidentiam & certitudinem obtinent, quam obtinent principia, quæ vulgo dicuntur *prima*. Videsis *Encyclop. T. 1. art. Axiome*.

II. Videat primùm benevolus Lector quo spectet Definitio VII., quam posuimus, antequam dijudicet ipsam pugnare cum Axiomate VII.


III. Postulatum III. diversum admodum est ab Axiomate *Nibil est sine caussa*. Etenim fatentur quidem omnes nihil sine caussa esse posse, sed non omnes concedunt *nibil esse sine ratione sufficiente*. Petimus igitur ab ingenuo Philosopho, ut id sit in concessis.

IV. Inter veteres & recentiores Philosophos, qui argumentis ex ratione depromtis Dei existentiam demonstrarunt, nemo melius, sapientissimorum hominum judicio, id præstitit SAMUELE CLARKIO, qui, ut testatur Ricotierius (*Avertiss. du Traduct. Pag.* XIV.), *a mis à quartier tous les argumens populaires, dont on se sert ordinairement pour prouver cette grande verité, & s'est fait un loi de ne rien avancer qu' il ne prouvat demonstrativement*. Itaque CLARKIO potissimum duce & auctore & nos demonstrabimus Dei ejusque attributorum existentiam, & iis quidem argumentis, quibus ipse usus est in Tractatu *De l' Existence & des attributs de Dieu*, quæque, si quid sentimus, repugnantem etiam Atheorum animum in assensum rapere possunt. Id in ipso hujus Libelli exordio ingenuè & libentissimè fatemur. Et quamvis in hujusmodi disputatione opinionem sequi nullam possis, quin tibi sit confestim vel cum Spinoza, vel cum Hobbesio contendendum, quoniam tamen, bene captis auspiciis, negocium expedien-

dum nobis ſumpſimus, non modo terreri nos rei magnitudine & gravitate patimur, ſed potius læti & incredibili veri videndi ſtudio elati, ipſi nobis ſtimulos addimus, nec valdè reputamus ea, quæ nobis in portum properantibus moleſta admodum occurrere, & moram injicere poſſent.



CA-



CAPUT I.

Propoſitio I. *Aliquod Ens ab æterno extitit*.

Demonſtratio.



Liquod ens ita modo exiſtit, ut ſemper minime extiterit (*Poſt.* I.), vel certè aliquod ens modo exiſtit (*Ax.* X.); oportet ergo ut ens aliquod ab æterno fuerit; ſi enim ab æterno ens aliquod minimè fuit, cogitandum erit aliquod ens ex iis, quæ modo exiſtunt, ita e nihilo emerſiſſe, ut nullam exiſtentiæ cauſſam agnoſcere debeat. Atqui id omnino repugnat (*Ax.* VII.); etenim qui ſibi fingit ens e nihilo eductum, ita ut exiſtentiæ cauſſa nulla ſit, is ſibi fingit ens productum ſimul & improductum. Id autem abſurdum pla-

plane est; ergo ens aliquod ab æterno extitit. Et revera ita ens quodlibet existere intelligimus, ut ipsius existentiæ caussa, & ratio cur potius existat, quam non existat aliqua esse debeat (*Post.* II.); nam vel existit ex intrinseca quadam necessitate, & entis naturæ veluti cognata, vel ex voluntate alterius entis. Si primum, jam habemus, quod petimus (*Ax.* III.); erit namque æternum illud ens. Si alterum, cum caussa effectui semper præexistat, fatearis oportet illud ens, ex quo alterius existentia profecta est, enti creato præextitisse (*Ax.* IX.). Patet igitur extitisse ens aliquod ab æterno. Si quis vero a nobis petat qua nam ratione ab æterno extiterit illud ens, id est quod nos nescire ingenue fatemur. Neque enim hic quæstio instituitur de modo, quo ens illud existat, se de ejusdem ab æterno existentia. Quamobrem cum demonstratum sit ens aliquod ab æterno extitisse, moveri minime debemus argumentis, quæ adversus ejusdem æternitatem afferri solent. Etenim etsi clare non intelligam quomodo ens illud existat, idem tamen ab æterno existere certe scio.

CA-

CAPUT II.

Prop. II. *Independens & immutabile ens ab æterno extitit*.

D. SI ens aliquod ab æterno exiſtentiam habuit, ut in ſuperiori *Propoſitione* demonſtratum eſt; ergo vel oportet ut illud ſempiternum ens immutabile ſit, & independens ita ſane, ut omnia quæ ſunt, quæque fuerunt ab eodem originem ducant; vel neceſſe eſt, ut intelligatur congeries veluti quædam infinita entium, quæ mutationi obnoxia ſint, & alia ex aliis nexa ita ut unius productio cauſſam agnoſcat in altero, & nullum commune ſit eorumdem exiſtentiæ principium: ſed poſtrema hæc hypotheſis in abſurda compellit (*Ax*. V.), quæ vel ipſi Athei declinare debent. Si enim hujuſmodi ſeriem infinitam entium in ea hypotheſi intelligas, quorum unum ex altero pendeat, alterum ex altero, & ita porro, perſpicuum ſit univerſam deinde eorumdem entium congeriem nullam agnoſcere exiſtentiæ cauſſam extrinſecam, nam omnia quæ exiſtunt, quæque extiterunt, hujuſmodi congerie continentur. Compertum quoque eſt nullam com-

mon-

monſtrari poſſe cauſſam intrinſecam exiſtentiæ totius ſeriei, nam in hac infinita ſerie nullum eſt ens, cujus exiſtentia ex alterius exiſtentia non fluat, ac proficiſcatur, & nullum in eàdem eſt ens, quod a ſe & neceſſario exiſtat. Si ergo omnes & ſingulæ partes, ex quibus entium congeries exiſtit, neceſſario non exiſtunt, obſcurum profecto nemini eſſe poteſt *Totius* exiſtentiam neceſſariam non eſſe (*Ax.* XI.): neceſſitas namque abſoluta non in re aliqua extrinſeca, relativa, & contingenti, ſed in eſſentiali entis proprietate (*Def.* IV.), quod neceſſario exiſtit, locari debet. Atqui abſque contradictione intelligere non poſſumus congeriem entium, quorum exiſtentiæ nulla fuerit cauſſa intrinſeca, vel extrinſeca (*Ax.* VII. *&* VIII.); nimirum entium multitudinem, quæ diviſim ſumpta exiſtentiæ cauſſam agnoſcunt, & conjunctim deinde nullam exiſtentiæ cauſſam habent (*Ax.* XI.). Ergo ſi ens aliquod ab æterno extitit, oportet, ut illud ſempiternum ens immutabile ſit & independens. Quod ſi fingere ſibi non poteſt Atheus, quin in abſurda impingat, modo entium congeriem ita exiſtere, ut eorum exiſtentiæ cauſſa intrinſeca & extrinſeca nulla ſit (*Ax.* VII. *&* VIII.), profecto omnia ſimul entia ab æterno, iiſ-

dem

dem ſuppoſitis, extitiſſe, abſurdum quoque deprehenditur; tempus enim contradictionem hypotheſis neque gignit ſi exiſtentia entium tempori jungatur, neque eamdem tollit ſi tempora minime intelligas. Velint igitur nolint, fateri debent Athei ens immutabile & independens ſemper extitiſſe.

CAPUT III.

Prop. III. *Ens ſempiternum, immutabile & independens nullam habet exiſtentiæ cauſſam extrinſecam, ſcilicet per ſe ſe & neceſſario exiſtit.*

D. ID omne quod exiſtit vel ita exiſtit, ut e nihilo emerſerit per ſe ſe, vel ita exiſtit ut exiſtentiæ cauſſam extrinſecam agnoſcat, vel tandem ita exiſtit, ut exiſtentiæ cauſſa ſit intrinſeca, nimirum ducatur ex neceſſitate quadam abſoluta (*Def.* IV.), quæ fluit ex *eſſentialibus* entis proprietatibus. Atqui in I. *Prop.* demonſtratum eſt nullum ens emergere potuiſſe e nihilo, quin cauſſam productionis habuerit; in II. vero oſtendimus omnia entia, nullo excepto, cauſſam extrinſecam productionis habere non poſſe, ſed neceſſario exiſtere ens ſempiternum atque independens: Reliquum eſt ergo, ut

 in-

intelligamus ens illud ſempiternum, atque independens nullam habere exiſtentiæ cauſſam extrinſecam, ſcilicet per ſe ſe & neceſſariò exiſtere.

Schol. I. Animadvertas hic tamen velim impropriè tantummodo, & lato quodam ſenſu cauſſæ nomen tribui *neceſſitati*, qua ſempiternum & independens ens exiſtit. Nam ſi hujuſmodi vocabulo eam ſubjectam eſſe notionem intelligas, ut nimirum ens illud ſe ipſum produxiſſe agnoſcas, conſtantia verba te minime profari vel rudis quiſque dijudicaverit (*Ax.* I.). Igitur ens ſempiternum & independens exiſtit neceſſitate abſoluta, quæ neceſſariò adhæreſcit ad ipſam naturam rei, quæ exiſtit. Cæterum neceſſitas, de qua loquimur, & ſi prior minime ſit exiſtentiâ entis *prioritate temporis*, ut ajunt, eſt tamen prior *prioritate naturæ*, nimirum idea neceſſitatis exiſtentiæ ſe ſe nobis exhibet, quam alia idea exiſtentiæ entis, quod ſempiternum eſt & independens. Cogitandum igitur non eſt hujuſmodi neceſſitatem ex entis neceſſarii exiſtentia manare, ita ſcilicet ut prius entis exiſtentia concipi debeat, deinde vero ipſa neceſſitas; nam ſi rem ita ſe habere tibi ſuaſeris, perſpicuum ſane fiet neceſſitatem hanc abſolutam non eſſe, neque ea in-

niti existentiam rei (*Def.* II.). Et revera idea entis necessario existentis nobis vel invitis occurrit, & nullo unquam conatu efficere possumus, ut ea a nobis veluti abscedat. Itaque quamvis mihi fingere velim nullum esse ens, cujus sempiterna sit & necessaria existentia; attamen ideæ *infinitatis*, atque *æternitatis* se se mihi objiciunt, ut easdem me excutere non posse sentiam (*Prop.* I.): scilicet sine contradictione concipere non possum nullum esse ens in hac rerum omnium universitate, ad quod hæc attributa necessariò adhærescant. Norunt enim omnes attributa & modos sine existentia substantiæ, cui jungantur, nullam plane existentiam habere. Igitur si quis æternitatem, immensitatem, adeoque substantiam illam, ex cujus existentia proficiscatur horum existentia attributorum, nullam esse supponat, is profecto relationem æqualitatis inter 4. & productum 2X2 negare poterit. Nam si naturam rerum & communes ideas consulamus, facile dignoscemus contradictoria proferre, qui vel immensitatem neget, vel eidem æternitatem minimè tribuat. *Moveantur partes Spatii de locis suis, & movebuntur, ut ita dicam, de se ipsis*, inquit Nevvtonus *lib.* 1. *schol. ad Def.* 8. Quare sublatam & non sublatam in

ea hypothesi partem spatii cogitandum esset, nimirum sublatam, quia supponis motam esse de loco suo, minimè deinde sublatam, quia adhuc remanet locus ipsius partis, scilicet ipsum spatium. Quo quid absurdius?

*Schol.*II. Hujusmodi argumentum ejusque vim maximam satis percipient Philosophi, qui spatium nihil non esse optime agnoscunt. Quamquam autem Cartesiani arbitrantur spatium immensum, *purum* & *merum nihilum*, habendum esse, facile tamen ostendere possumus notionem hanc indignam plane esse Philosopho, qui rectam rationem tanquam optimam ducem sequi velit. Nam nihilo nihil tribui potest; caret modis & proprietatibus (*Ax.* VI.), neque de eo verè affirmari aliquid potest, de quo omnia verè negantur. At ita minime se habet immensitas, sive spatium, quemadmodum satis patet.

Corol. Ex his ergo habes ideam entis, quod necessario & a se existit, nihil aliud esse, quam ideam entis, cujus existentiam in dubium revocare nequit is, qui absurda & contradictiones declinare velit (*Def.* IV.). Quoniam enim intelligimus absolutè necessarium esse, ut ens existat, cujus existentiæ necessitas essentialis sit, & ex ipsius natura ducatur, evidens est necessitatem hanc ita absolu-

tam

tam esse, ut ex nulla pendeat hypothesi (*Ax.* III.). Quid namque se se tandem exhibere poterit, quod prius sit in ente, quod a se existat? Nihil tale, si verum fateri velimus, nobis unquam fingere possumus. Necessitas ergo, quæ minime *relativa* intelligitur, quæque absolutè essentialis & naturalis est, nunquam abesse potest ab ente, cujus existentiam necessariam vocamus; & si quis eam negat, in absurda & contradictiones incidet (*Def.* IV.). Relatio æqualitatis e. g. inter 4. & productum 2X2 ita absolute necessaria est, ut in nulla unquam hypothesi eamdem sublatam fingere sibi quis potest, si sibi constare velit.

CAPUT IV.

Prop. IV. *Ens, quod a se existit, necessario sempiternum esse debet.*

D. IDea æternitatis, & idea existentiæ, quæ a nullo pendeat, ea inter se cognatione continentur, ut intellecta æternitate entis, cujus existentiæ caussa nulla sit, intelligatur existentia ejusdem, quæ necessaria absolute esse debet; & intellecta necessitate entis a se existentis, intelligatur quoque il-

illud esse necessariò sempiternum: Atqui in superiori *Propositione* demonstravimus ens a se existens ita necessariò existere, ut necessitas sit absoluta, atque ex natura fluat; ergo intelligimus ens, quod a se existit, necessario sempiternum esse. Et revera cum necessitas, de qua est sermo, ea sit, ut a nulla extrinseca pendeat caussa, perspicuum sane fit mutationi nunquam obnoxiam eamdem esse posse (*Ax.* III.); nam hujusmodi mutatio proficisci deberet ex actione caussæ extrinsecæ, quod in nostra hypothesi penitus repugnat. Patet itaque ens naturæ necessitate existens ita esse sempiternum, ut initium existentiæ nullum sit, finis ejusdem nullus esse possit.

Schol. Animadvertendum hic tamen est infinitum intercedere discrimen inter modum, quo Deus existit ab æterno, & modum, quo existunt omnes aliæ substantiæ, eæ quoque quas non manet interitus. Etenim hujusmodi substantiæ, quia angustis admodum concluduntur limitibus, nequeunt unico intuitu cernere præterita, perfectè cognoscere præsentia, & tanquam ex alta specula prospicere futura. Earumdem cognitiones, viresque suos habent fines, quos ne prætergrediantur cautum est. E contra ens sempiternum, & prima omnium rerum caussa cognitione perfectis-

ctiſſima & immutabili cuncta complectitur, in ejus æterna *duratione* minimè occurrunt momenta temporum, clare intuetur præterita, præſentia, & futura ſine ulla idearum ſucceſſione, ejuſdemque imperio omnia ita ſubjiciuntur, ut illud perpetuo perſentiſcant. Hæc æterna entis infiniti *duratio*, ſi preſsè loqui velimus, nihil aliud tandem eſt, quam *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, ut loquitur Boetius *de Conſ. Phil. lib.* v. *prop.* 6.

CAPUT V.

Prop. V. *Ens, quod a ſe exiſtit, neceſſario infinitum eſt, & omnipræſentiam habet.*

D. SI ens ita exiſtit, ut cauſſam intrinſecam exiſtentiæ habeat ex natura fluentem (*Schol.* I. *ad Prop.* III.), oportet ut illud idem ens ſit infinitum; atqui demonſtratum eſt ens ita a ſe exiſtere, ut neceſſitas exiſtentiæ abſoluta ſit, & ex ejus natura manet ac fluat (*Prop.* III.); ergo infinitum quoque eſſe debet ens, quod a ſe neceſſariò exiſtit. Et ſane ens, quod ita a ſe exiſtit, ut neceſſitas exiſtentiæ ſit abſoluta, nullam in eo vel temporis, vel loci, vel alterius cujuslibet rei relationem intelligere poſſumus (*Def.* IV. & *Ax.* III.).

Si

Si res ita se habet, ens illud ergo infinitum esse debet. Atque ut res explendescat, sibi singat Atheus, si libet, ens finitum, quod a se existat: jam non poterit tempus ullum intelligere, quo ens illud non existat, alioquin in contradictionem incidet (*Prop.* IV.). Quoniam vero ex hypothesi ens illud finitum est, profecto relationes temporis, loci, & caussarum, quæ extrinsecæ sint, in eodem agnoscet, adeoque existentiam ab eo avertere fas erit. Itaque supponere ens finitum a se existens ita absurdum est, ut nihil supra.

Jam vero si absque ulla contradictione ens aliquod abesse a loco A intelligere possum, nihil impedit sane quominus mihi fingam illud idem ens abesse a loco B. C. D. &c., uno verbo a quolibet loco, nimirum ens amplius non existere; ergo perspicuum est ens illud ita extitisse, ut caussam extrinsecam existentiæ habuerit. Sed quum caussa extrinseca locum non habeat in existentia entis, quod necessario a se existit (*Prop.* III.), patet equidem omnipræsentiam denegari eidem non posse.

Corol. I. Quamobrem *infinitas* entis a se existentis est perfectissima, quemadmodum & immensitas: scilicet fines, quibus concluditur, nulli sunt, minimè subjicitur muta-

tio-

tioni, neque modo major, modo minor intelligi poteſt. Limites, ſi placet, a materia avertamus; infinita tamen eadem ita non erit, ut perfecta infinitas habenda ſit, quæ ipſi tribuitur; nam in ea adhuc falſa hypotheſi vacuum, quod vocant *diſſeminatum* intelligere potero. At ens a ſe exiſtens neceſſariò præſens eſſe debet æque omnibus locis, idem neceſſariò eſſe debet ubique. Verè ergo & abſolute infinitum atque immenſum eſt ens, quod a ſe exiſtit.

Coroll. II. Ex his quoque ſequitur ens, quod a ſe exiſtit, diviſioni obnoxium non eſſe, partibus non conſtare, minime moveri, nullam habere figuram, uno verbo eſſe ens, cui proprietates, quæ ad materiam pertinent, minime adhæreſcunt. Hujuſmodi enim proprietates evidenter & neceſſariò nobis commonſtrant finitum aliquod ens, & cum *infinitate*, quæ perfecta ſit, conſociari nequeunt.

CAPUT VI.

Prop. VI. *Ens a se existens necessariò unicum esse debet.*

D. VEritas hujus Propositionis facile explendescere potest. Unitas supremi entis fluit ex necessitate existentiæ ejusdem. Nam necessitas absoluta simplex est, neque varietas ulla in ea intelligi potest, alioquin ex extrinseca caussa penderet, quod absurdum plane est (*Prop.* III.). Porro sibi nunquam fingere poterit Atheus duo vel plura entia, quæ diversa sint, quæque independenter & necessariò a se existant, quin in contradictionem incidat, quod ita demonstro. Singula hujusmodi entia ex hypothesi ita existunt, ut eorum existentia necessaria & independens sit; ergo intelligere possumus eorum unum ita existere, ut alia minime existant, adeoque necessitatem existentiæ in iis nullam amplius esse agnoscemus. Quod enim ita existit, ut ejus existentia independens omnino sit, sibi ipsi ita sufficere debet, ut hypothesis, cujus ope intelligo nihil aliud præter ipsum existere, sit hypothesis possibilis, & a qualibet contradictione libera, quemad-

admodum attendenti satis patet. Ergo vel eorum entium unum ita existet, ut alia minime existant, vel nullum existet necessariò. Ens ergo, quod a se existit, unicum esse debet, atque id omne, quod ab ejus essentia diversum est, necessariò existere nequit.

Et revera existentia entis, quod necessarium sit, ante intelligi debet, quam cujuslibet alterius entis existentia intelligatur, ita sane ut fingere nequeam aliquid existere, quod minime supponat ens a se & necessario existens. Ex. cau. quemadmodum hypothesis existentiæ alicujus rei in hypothesi existentiæ spatii & temporis necessariò continetur; nam si absque spatio & tempore aliquid existere posset, ita profecto res existeret, ut nullibi, & nullo tempore ea foret, & spatium & tempus necessariò minime existerent, quæ absurda plane deprehenduntur: Ita quoque hypothesis entis, quæ non includat necessariò hypothesim præexistentiæ alterius rei, evidenter ostendit hujusmodi alterius rei existentiam necessariam non esse. Itaque fieri non potest, ut ideam existentiæ alicujus rei, & ipsius existentiæ ideam obtineas, nisi idea entis necessariò existentis prius gignatur.

Coroll. I. Unitas ergo entis, quod a se existit, optime consociatur cum iis, quæ

de dogmate Unitatis Dei in Sacris Litteris traduntur.

Coroll. II. Nihil eorum Philosophorum opinione absurdius excogitari potest, qui bina agnoscunt diversa principia, Deum scilicet, & materiam, quæ a se & independenter existant.

Coroll. III. Ex his tandem sequitur & risu & cachinnis dignam plane esse opinionem Spinozæ, qui cum & ipse agnoscat absolute necessarium esse, ut ens a se existens unicum esse debeat, concludit deinde Universum hoc, & omnia, quæ in eodem continentur, substantiam unicam esse, æternam, increatam, & necessariam *(a)*. Oh lepidum caput! Imo statuere debebat omnia, quæ nos circumstant, nec æterna, nec necessaria esse, nec esse posse. Etenim quoniam res omnes, quas conspicimus, diversæ omnino sunt inter se; quoniam in iis nullum vel exiguum necessitatis vestigium intuemur, cum sint omnes

(a) *Una substantia non potest produci ab alia*. Spin. Ethic. Par. V. Prop. VI. *Ad naturam substantiæ pertinet existere*. Id. Prop. VII. *Præter Deum nulla dari, neque concipi potest substantia*. Id. Prop. XIV.

nes infinitis pene mutationibus obnoxiæ; quoniam ipsæ dissimilibus prædita sunt proprietatibus, quæ dissimilibus finibus respondent; quoniam tandem inter se ita distinguuntur, ut clare agnoscere possimus unam non esse aliam (a), modos & essentialia attributa unius non pertinere ad modos & ad essentialia attributa alterius, vel rudis quisque statuere poterat nihil esse in hac rerum Universitate, quod necessario existeret, adeoque omnia ab externa caussa, nimirum ab ente supremo & a se existente pendere. Sed tam turpis Spinozæ error ex obscura quadam & falsa substantiæ definitione, quam ipse attulit, tanquam ex fonte proficiscitur. Ejus definitio his concipitur verbis: *Per substantiam intelligo id, quod in se est, & per se concipitur, cujus conceptus non indiget conceptu alterius rei, a quo formari debeat . . . Ad naturam substantiæ pertinet existere; hoc est, ipsius essentia involvit necessario existentiam* (b). Jam vero vel hæc sub-

(a) Consulas hic velim Libellum, cui titulus: *Trattato dell' unità delle cose* e. c., & de quo mentio facta est in Ephemeridibus Litterariis Panormitanis *Num.* 16. 1772. *Col.* 250.

(b) *Spin. Eth. Part.* V. *Prop.* VII.

ſubſtantiæ definitio minime ſe ſe ſuſtinet, & in hac hypotheſi de ejus ſyſtemate, quod huic definitioni innititur, actum plane erit: vel ſi aliquid exprimit, & ab omni errore immunis eſt, ſequitur neque materiam, neque animum, neque ens quodlibet finitum, verè & proprie in Spinozæ ſententia ſubſtantiam dici poſſe. Hoc ergo ſubſtantiæ vocabulum aptari poterit tantummodo enti, quod a ſe exiſtit. Si res ita ſe habet, quomodo ſuadere nobis deinde poterit nullam in Univerſo eſſe libertatem, & potentiam, atque ens quodlibet abſolutâ neceſſitate ita exiſtere, ut nullo alio modo exiſtere poſſit (a)? Etſi igitur nobis probetur illa ſubſtantiæ definitio, ni-

(a) *Res nullo alio modo, neque alio ordine a Deo produci potuerunt, quàm productæ ſunt*. Spin. Eth. Par. I. Prop. XXXIII. Sed Spinozæ ſententiam ita explicat Vir Cl. Samuel Clarkius: *Ainſi l'opinion de* Spinoza, *exprimèe en termes clairs & ſuivis, revient èvidemment a ceci; c'eſt, que tout le Monde materiel & chacune de ſes parties, auſſi bien que leur ordre & leur maniere d'exiſter, que tout cela, dis-je, eſt l'unique Etre, qui exiſte neceſſairement & par luimème*. De l'exiſtence, & des attributs de Dieu, Prop. 3. pag. 52.

nihil tamen proficit Spinoza, dum concludit omnia necessario & absolute existere. Etenim, cum juxta eamdem definitionem neque materia, neque humanus animus, neque quodlibet aliud finitum ens sit, & esse possit substantia, sed solum substantiæ modus, qua nam via & ratione Ipse tandem probabit modos quoque a se existere, cum a se existat substantia? Respondebit fortassis: *Ex necessitate divinæ naturæ infinita infinitis modis (hoc est omnia quæ sub intellectum infinitum cadere possunt) sequi debent* (a). Sed hoc est sibi fingere caussam infinitam & a se existentem, quæ liberrime non agat, sed turpi quodam fato, & absoluta necessitate veluti rapiatur, quod absurdum omnino esse inferius demonstrabimus.

CA-

(a) *Ibid. Prop.* XVI.

CAPUT VII.

Prop. VII. *Ens a ſe exiſtens eſſe debet ens intelligens.*

D. Hujus propoſitionis veritatem agnoſcere valde recuſant Athei. Ens a ſe exiſtere atque hujuſmodi ens æternum eſſe, infinitum, principium, fontem & originem rerum omnium ægre quidem, ſed tamen miſerrimum illud hominum genus argumentorum vi ductum fatetur. At inter Atheos, qui vel arbitrentur Mundum ab æterno extitiſſe tum quo ad formam, tum quo ad materiem, vel putent materiem tantummodo neceſſariam eſſe, nullum reperies qui ſibi ſuadere velit ens a ſe exiſtens eſſe intelligens, quique non defendat tutum idemque beatum otiari intra cœli ſpatia, ſcilicet ens eſſe, quod fato quodam ducatur, & neceſſariò omnino agat quidquid agit, ſi tamen actio tribuenda ei ſit. Equidem fatendum eſt directè, & *a priori*, ut ajunt, demonſtrari non poſſe ens a ſe exiſtens qualibet neceſſitate carere, dum agit, idemque eſſe ens intelligens, atque, ut Scholaſticorum utamur vocabulo, *realiter activum*. Etenim ignoramus ferme

me naturam attributi, quod intelligentiam vocamus, neque fas est intueri conexionem immediatam & necessariam, quæ intercedit inter existentiam entis a se existentis, & inter ejusdem intelligendi vim. Verum *a posteriori* demonstrationem si petas, nihil est quod facilius expedire possimus: omnia namque, ex quibus armonica hæc Mundi machina existit, clamant quodammodo primam caussam eam esse, ut infinitè sapiens, infinitè intelligens sit (*a*). Quoniam enim alii atque alii perfectionis & pulchritudinis gradus distingui facile possunt in hujus Universi partibus, & naturalis rerum ordo fert, ut caussa excellentior nobiliorque effectibus, quos gignit, intelligi debeat, profecto obscurum esse nequit in ente a se existente, ex quo om-

(*a*) Inter recentiores Philosophos, qui hac ratione supremum ens intelligens esse sapienter demonstrarunt, principem locum obtinent Boyle (*Traitè de Causes finales*, Ruy (*de la Sagesse de Dieu, dans les Ouvrages de la Creation*), Derham (*de l'Existence & des Attributs de Dieu par les Ouvrages de la Creation*), Niewentitius (*de l'Existen. de Dieu*), Lesserus (*Theolog. des insectes*), Fabricius (*Theolog. de l'Eau*), Cudworthus, Jaquelotius, Eduardus, Parkerus, aliique.

omnia profecta sunt, contineri atque explendescere excellentissima quadam ratione perfectiones, quibus contingentes substantiæ impertiuntur. Quod si fingat Atheus in effectu esse perfectionem, quæ in ejus caussa non contineatur, statuat quoque oportet eam perfectionem esse simul productam & improductam, quod est absurdum (*Ax.* VIII.). Atqui constat inter perfectiones entium, quæ contingentia vocantur, recensendam esse eam, quam *intelligentiam* nominamus, seu intelligendi vim: ergo oportet, ut ens a se existens, fons & origo omnium, sit necessariò intelligens. Equidem, si quid sentio, summam hujus argumenti vim plurimum persentiscere debent Athei, eamdemque declinare nunquam poterunt nisi forte dixerint nullum esse in hoc Universo ens, quod intelligendi vim obtineat, vel hujusmodi intelligendi vim non esse perfectionem a materia distinctam, sed existere ex quadam veluti mixtione figurarum, & motuum. At, ut primum effugium Atheistis eripias, provoces velim insipiens hominum genus ad intimum sensum. Nullum inter eos etiam, qui arbitrati sunt bruta esse materialia quædam automata nihilque aliud præterea, reperire poteris, cui vel similis de hominibus opinio injecta

fue-

fuerit. Quod autem secundo loco afferunt, ita absurdum est, ut nihil aliud absurdius excogitari possit (a). Quoniam enim certissimè hominibus inest facultas, quam intelligendi & cogitandi vim, perceptionem, cognitionemque appellamus, oportet sane ut eadem vel ex traduce, vel ex ipso sinu materiæ, quæ cognitionis & intellectionis expers sit, vel tandem ex potentia supremæ & intelligentis substantiæ profecta sit; si primum, ergo necesse est ut intelligamus infinitam qualitatum earumdem congeriem, cujus nulla erit caussa, quamvis in hac congerie aliæ ex aliis dependeant, & nullius existentia necessaria sit; constat autem ex II. Propositione id absurdum esse; igitur prima Atheorum hypothesis omnino evertitur. Si alterum, cum cognitio, seu intelligendi vis sit perfectio a materia distincta, neque ex combinatione figurarum & motuum existere possit (b); ergo en-

(a) Sed finge etiam, si placet, intelligendi vim non esse perfectionem a materia distinctam, adhuc tamen intelligis ens a se existens esse necessariò ens intelligens.

(b) Rem fusius probavimus in Dissertatione *De Immortalitate Animorum*, quam edidimus anno 1770. Sed aliam insistens viam, rem quoque probat Clarkius de

entia, quibus ineſt hæc intelligendi vis, haurire eamdem potuerunt ex materia, quæ hujus attributi expers eſt. Quis autem non videat deſipere prorſus eos, qui hæc ſubſpicentur (*Ax.* VI.)? Nam fieri certè nequit, ut perfectio in ens proficiſcatur ab ente, quod neque *eminenter*, neque *actu*, ut dicitur, eamdem obtineat. Id, ut arbitror, ita explendeſcit, ut clariſſima lux hæc facile in omnium oculos incurrat; ſi enim res rei impertiri poſſet perfectionem, qua caret, jam perfectio e nihilo emergere potuiſſet ſine cauſſa (*Ax.* VIII.), quod abſurdum eſſe nullus negaverit. Reliquum eſt igitur ut fateamur intelligendi vim ex potentia ſupremæ & in-

---

de l' exiſtence de Dieu Chap. IX. *Prop.* VIII. *pag.* 103. Nunc vero audiant Athei & aliud argumentum, cujus vim maximam ipſe Baelius agnovit *Dict. Hiſtor. art. Leucippe Remar.* E. Exploratum omnibus eſt, qui vel leviter ſint Phyſicis inſtitutionibus imbuti neceſſario materiem vel in motum, vel in quietem ita verti, ut de illo ſtatu, quem mechanicæ & naturales leges expoſtulant, dejici nequeant. Sed animis ea ineſt poteſtas, ut velint & nolint, agant pro imperio & non agant, ſeligant, & quod ſeligerint, id rejicere lubentiſſime poſſint. Ergo cogitandi vis ope motionum corporearum explicari nequit.

intelligentis substantiæ in homines profectam fuisse.

CAPUT VIII.

Prop. VIII. *Ens a se existens est agens liberum.*

D. Spinoza ejusque Sectatores pugnacissime defendunt ens a se existens esse ens necessarium, & libertate omnino carere; & hoc quidem principio nititur impiissimum Spinozæ systema. At ex probationibus Propositionis, quas modo afferremus, patere satis poterit cum ratione prorsus bellare Spinozistarum fœdissimum gregem. Itaque ex superiori *Prop.* facile hujus, quam posuimus, demonstrationem fluere arbitramur. Nam ens intelligens, quod libertatis expers sit, strictè & pressè loquendo vocari nequit ens intelligens. Finge detractam de ente libertatem; ergo & detractam de eodem potentiam agendi intelligis, adeoque esse non poterit ullius effectus caussa, uno verbo erit ens, ut loquuntur, merè *passivum.* Necessario enim agere, si vera loqui volumus, est revera non agere. Quum igitur Spinoza ait *ex necessitate divinæ natu-*

ra infinita infinitis modis sequi debere (a), imperitis quidem imponere fortassis poterit, qui verborum apparatu, & obscurioribus loquendi formulis facilè decipi possunt, non verò iis, qui falsa, etsi pulchris involuta vocabulis, vel primo intuitu dignoscere valent. Et revera *naturæ divinæ necessitas* in Spinozæ sententià ea non est, ut infinitam divinæ naturæ perfectionem, infinitam æquitatem divinæ voluntatis, qua omnia sapientissime, libere, & suaviter disponat, nobis exhibeat, sed necessitatem absolutam, & ex natura divinæ naturæ ita fluentem, ut fatum quoddam inexorabile sit, & omnia Deus necessario operetur. Quamobrem quum ajunt Spinozistæ Deum ex necessitate naturæ esse principium & caussam omnium, quæ existunt, verba & verba prætereaque nihil nobis donant. Imo, si rem penitus inspicias, facili negotio deprehendes verbo quidem caussæ nomen tribui Deo, sed re ipsa eidem denegari. Si quis dixerit saxum ex necessitate naturæ caussam esse sui casus, profectò risu hæc exciperes; nam neque caussa neque agens

(a) *Eth. Par.* I. *Prop.* XVI.

agens est in ea hypothesi saxum. Sed ad hanc delati sunt opinionem Spinozistæ, quia ipsi in ea sunt hæresi, ut putent omnia, quæ in adspectabili hoc mundo cernimus, a se existere, & materiam inter & Deum nullum plane discrimen intercedere, quod absurdum esse jam ostendimus. Simili modo dum Deum esse ens intelligens, & cognitione præditum fatentur, hujusmodi qualitates eidem tribuunt, quia cogitandi vim materiæ inesse arbitrantur.

Deinde si supremam & primam caussam libertate destitutam intellexeris, ita ut ejus actiones necessariæ sint, quemadmodum necessaria est ejus existentia, facile quoque dederis rem quamlibet, quæ modo non existit, nunquam existere potuisse; omnia, quæ nunc existunt, non existere non posse; tandem mutationi nulli ea, quæ existunt, obnoxia ullo unquam tempore fuisse, nec esse posse. Porro cum hæc omnia absurda prorsus dignoscantur, perspicuum est primam entium omnium caussam perfecta libertate præditam esse, & necessitatem nullam in ejus actionibus intelligi. Quamquam autem res ita se habet, attamen Spinoza minime veretur ea omnia facillime confiteri, & conceptis verbis ait eadem fluere ex principiis, quæ

ada-

adamavit. *Alii putant*, inquit ipſe (*a*), *Deum eſſe cauſſam liberam, propterea quod poteſt, ut putant, ut ea, quæ ex ejus natura ſequi diximus* (*hoc eſt quæ* in ejus poteſtate ſunt), *non fiant. Sed hoc idem eſt ac ſi dicerent, quod Deus poteſt efficere, ut ex natura trianguli non ſequatur ejus tres angulos æquales eſſe duobus rectis . . . Ego me ſatis oſtendiſſe puto a ſumma Dei potentia* omnia *neceſſario effluxiſſe, vel ſemper eadem neceſſitate ſequi; eodem modo ex natura trianguli ab æterno & in æternum ſequitur ejus tres angulos æquari duobus rectis*. Et ad demonſtrationem Prop. XXIX. hæc habet: *Omnia ex neceſſitate divinæ naturæ determinata ſunt, non tantum ad exiſtendum, ſed etiam ad certo modo exiſtendum, & operandum, nullumque datur contingens*. Et Propoſitione XXXV. ait: *Quidquid concipimus in Dei poteſtate eſſe, id neceſſario eſt*. In Corollario ad Prop. XXXII. docet *Deum non operari ex voluntatis libertate*. Tandem Propoſitione XXXIII. *Res nullo alio ordine*, inquit, *neque alio modo a Deo produci potuerunt, quam productæ ſunt*. Audiamus modo optimas, ſi Diis pla-

(*a*) *Eth. Part.* I. *Schol. ad Prop.* XVI.

placet, rationes, quas peracri ingenio vir præditus affert. Primo igitur Propositione XVI. ait ex *necessitate divinæ naturæ infinita infinitis modis sequi* debere. Deinde *si res alterius naturæ*, inquit Propositione XXXIII., *potuissent esse, vel alio modo ad operandum determinari, ut naturæ ordo alius esset; ergo Dei alia etiam natura posset esse, quam jam est*. Tandem *Corol. ad Prop.* XVII. ita loquitur: *Adversarii qui negant ex necessitate divinæ naturæ omnia necessario fluere, Dei omnipotentiam negare videntur. Coguntur enim fateri Deum infinita creabilia intelligere, quæ tamen nunquam creare poterit. Nam aliàs, si scilicet omnia, quæ intelligit, crearet, suam, juxta ipsos, exhauriret omnipotentiam, & se imperfectum redderet. Ut igitur Deum perfecte statuant, eo rediguntur ut simul statuere debeant, ipsum non posse omnia efficere, ad quæ ejus potentia se extendit.*

Verum facilis est ad hæc responsio. Primum Spinozæ argumentum supponit id definitum, quod quæstioni subjicitur. Nam libentissimi quidem fatemur in natura infinitè perfecta intelligi potentiam, qua *infinita infinitis modis* creare possit. At eamdem substantiam fato quodam & necessitate absoluta & naturali ita duci, ut quidquid agit, neces-

 sa-

ſario ſemper agat, id ſane eſt, quod argumento depromto ex naturalibus ipſius ſubſtantiæ perfectionibus, hominibus, qui rationem velut optimam ducem ſequantur, perſuadere nunquam poterit Spinoza. Nam ſi ſupponat ens infinitè perfectum eſſe agens neceſſarium, ineptè principium petet, quod dialecticæ principiis vel leviter imbutus agnoſcet.

Imbecillum quoque eſt alterum Spinozæ argumentum. Nam quomodo tandem probare Ipſe poterit ex hypotheſi, in qua facile intelligimus Deum aliis atque aliis temporibus pro imperio & infinita ſapientia, quam omnes ſuſpicimus, jubere poſſe ut hæc vel illa exiſtant, aliam neceſſariò fluere hypotheſim, quæ nobis commonſtret voluntatem & naturam ipſius mutationi obnoxiam eſſe? Nunquam ſane Adverſarius, etſi callidus admodum, efficere id poterit. Sed armis iiſdem, quibus nos petit, cur eumdem conficere fas non fuerit? Si Deus *neceſſitate naturæ infinita ſemper infinitis modis* producit, quemadmodum Spinoza fingit; ergo Dei natura infinitis neceſſariò mutationibus ſubjicietur. Videat veterator homo quid ad hæc reſpondere poſſit.

Poſtremum, quod affert, argumentum

non risu modo, sed cachinnis dignissimum arbitramur. Etenim si methodum Spinozisticam sequi velis, facillimè Dei æternitatem destruere poteris eleganti & lepido hoc argumento: *Infinita divinæ substantiæ duratio exhausta actu nunquam intelligitur; ergo Deum sempiternum esse, ejusque durationem infinitam minime intelligere possumus*. Appage deliramenta. Vident sane omnes, qui clarissimæ luci oculos occludere minimè velint, omnipotentiæ notionem eam esse, ut agnoscere debeamus nova semper Deum creare posse, nihil autem de omnipotentia detrahi, nihilque addi, vel Mundum condiderit, vel non. Ita etiam infinitæ durationis natura ea esse debet, ut nunquam exhaustam eamdem nobis fingere possimus: alioqui infinita simul foret & finita, quod repugnat. Quamquam vero argumenta, quæ nobis Spinoza proponit, non indigna prorsus essent Philosopho (quod tamen fateri valdè recusamus); obscurum tamen nemini esse poterit principium, quo ipsius nititur systema, nimirum *naturæ ordinem immutabilem* necessariò habendum, ita absurdum deprehendi, ut stomachum moveat. Contrarium enim illud est experientiæ, naturæ rerum omnium, & ideis, quas omnes obtinent, & ex quibus philosophan-

 dum

dum eſt. Circumſpiciamus, ſi libet, omnia, ex quibus Mundus conſtat. Equidem ubique reperire fas erit ſive ſubſtantias, ſive modos, quæ clariſſima & valida nobis ſuppeditare poterunt argumenta, quibus oſtendamus omnia permanare ex cauſſa, quæ perfectè libera ſit. Neceſſitas enim nulla, quæ vera neceſſitas (a) nominari poſſit, ſe ſe nobis exhibet. Motus ipſe, ejus quantitas, gravitationis leges pro imperio cauſſæ liberæ definita ſunt. Nihil admodum favet Spinozæ pulcherrimus quidem ſed conſtans ordo, quo in cœlorum ſpatiis ſydera diſpoſita novimus. Nam Planetarum numerus major vel minor, quam nunc eſt, & eſſe & intelligi poteſt. *Dum autem Cometæ*, inquit Nevvtonus (b), *moventur in orbibus valdè ec-*

(a) Neceſſitas, quæ dicitur *convenientiæ*, cujus etiam ope intelligunt nonnulli non alio modo potuiſſe mundum diſponi, quin ſuam amitteret pulcritudinem, vera & abſoluta neceſſitas appellari non poteſt, ut patet.

(b) *Opt. pag.* 345. Idem autem Newtonus *Princip. Lib.* III. *Prop.* VIII. ut magis ac magis Dei Libertatem, ſapientiam, & potentiam extollat, ita loquitur: *Planetarum denſitates ferè ſunt, ut radices diame-*

eccentricis undique & quoquoversum in omnes partes cœli, utique nullo modo fieri potuit, ut cœco fato tribuendum sit, quod Planetæ in orbibus concentricis motu consimili ferantur omnes. Tam miram uniformitatem in Planetarum systemate, necessario fatendum est intelligentia & consilio fuisse effectam. Quid vero dixeris de Plantarum, atque animantium tanta & tam mira varietate? Næ plumbeus ille fuerit, qui ab his rapi se minimè senserit in admirationem sapientiæ & consilii Summi Opificis. *Sed jam pudet* (Augustini verba *Ep.* 56. usurpare libet) *me ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire. Cum vero ausi sint etiam defendere, non jam eorum, sed ipsius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.* CA-

---

metrorum apparentium applicatæ ad diametros veras, hoc est, reciproce ut distantiæ planetarum a Sole, ductæ in radices diametrorum apparentium. Collocavit igitur Deus Planetas in diversis distantiis a Sole, ut quilibet pro gradu densitatis, calore Solis majore vel minore fruatur. Hinc concludit aquam nostram, si in orbita Saturni posita esset tellus, congelationi obnoxiam fore; abituram vero esse in vapores, si in Mercurii orbita statueretur. Hujus vero effectus caussam ducit ab ipsamet Solis luce, quæ in orbita Mercurii septuplo densior est, quam in orbita telluris.

CAPUT IX.

Prop. IX. *Ens a se existens, a quo omnia producta sunt, infinitam obtinet potentiam.*

D. HÆc Propositio vix probationem desiderat. Quoniam enim solus Deus a se existit, quoniam omnia, quæ Mundi machinam componunt, eidem referre debent acceptam, quam habent, existentiam, & quoniam tandem Creaturarum omnium potentia ita ab eodem profecta est, ut illius imperium persentiscant, nihilque ejus voluntati sese opponere possit; ergo oportet intelligamus in suprema omnium caussa eam potentiam, qua nulla major excogitari queat, & facillime & perfectissime ipsum agere quidquid velit. In Sacris Literis iis, ut ita dicam, coloribus divinæ Potentiæ imaginem expressam admiramur, ut pulchrior alia desideri nequeat (*a*). Sed nos non latet hujusmodi Scripturarum testimoniis nihil commoveri posse Atheos. Novimus enim contra-

pes-

(*a*) *Job. cap.* 9.; *& cap.* 26. *v.* 6. *Isai. cap.* 40.

pessimum hoc hominum genus argumenta ex ratione depromta esse tantummodo aptissima arma, quibus dimicemus. Itaque principiò animadvertimus infinitam potentiam omnia quidem possibilia complecti, minimè autem manare ad ea, quæ contradictionem involvunt. Ut res e. g. sit & non sit eodem tempore, ut eadem extiterit, & non extiterit, efficere nequit ens etsi infinitè potens. Nam hæc potentia efficiendi, ut eodem tempore res simul sit & non sit, nullo modo appellari potest potentia; pura enim & mera *negatio* tibi se se exhibet, ut patet. Deinde compertum esse arbitramur eamdem infinitam potentiam extendi non posse ad ea, quæ naturalem imperfectionem in ente, cui hujusmodi tribuitur potentia, commonstrare valent. Ex. cau. nunquam dixeris ens infinite potens se ipsum posse destruere, & perfectiones, quas obtinet, vel imminuere, vel in nihilum redigere. Perspicuum est enim hæc omnia longissimo & infinito abesse intervallo ab ente, cujus existentiam necessariam agnoscimus (*Def.* IV. & *Ax.* III.). Dubitationi obnoxias esse non posse hujusmodi Propositiones facilè arbitramur, adeoque pluribus easdem explicare supervacaneum dijudicamus. Demonstrandum potius poten-

tiam

tiam creandi materiem nullam aliam esse posse, quam potentiam infinitam, quod fateri valde recusarunt veteres, valde nostra hac ætate recusant Athei recentiores. Impossibile absolutè est, inquiunt, ex infinita potentia entis a se existentis materiam fluxisse, ita ut e nihilo educta fuerit. At si ab ipsis petas, ut fontem commonstrent unde haurire liceat contradictionem, quam sibi fingunt, quæque sola veram & realem impossibilitatem gignit, hærebunt sane, nec aliquid afferre poterunt. Et revera *rem existere modo, quæ antea minime extiterit*, si quis pronunciet, quid quæro contradictionis videre poteris in Propositione, quæ certè confundi non debet cum hac alia: *Res simul est, & non est*. Infinitum inter eas discrimen, quod intercedit, in oculos confestim incurrit. In postrema enim contradictionem *directam*, ut ajunt, facile cernis, in alia vero nullam vel *directam*, vel *indirectam* contradictionem deprehendes. Fatemur equidem confundi facilè posse ideam *creationis* cum idea *formationis* ab iis, qui præjudiciis ex sensû manantibus abrepti de re judicare velint; sensibilibus namque assueti oculos tantummodo conjiciunt in ea, quæ vel corruptione intereunt, vel generatione oriuntur, dum sermo instituitur de

ni-

nihilo & creatione. Quamobrem ficuti rei formatio fupponit materiam præexiftentem, ita fibi facile fuadent *nihilum* effe veluti præexiftens aliquid, dum audiunt ex eo materiem eductam effe; atque ita repugnantem & invitum animum ad errorem rapiunt. Quis enim vehementer non doleat miferrimè ideas confundi? Quis non dederit iftud hominum genus recte comparari poffe cum puerulis, qui arbitrantur tenebras ens quoddam reale effe, quod ex appulfu folis ad orizontem deftruatur, vel certè commutetur in lucem? Itaque recta tantummodo exiftet in nobis Creationis idea, fi intelligamus tributam exiftentiam rei, quæ antea nihilo æqualis erat (*Def.* VII.).

Schol. Memoria hic repetas velim celeberrimum illud argumentum ex Mathematicis difciplinis depromtum, quo Cl. Guido Grandius in Libro *de Quadratura Circuli pag.* 33. infinitam effe potentiam, quæ e nihilo rem educit, demonftrat. Illud nos attulimus in Differtatione *de Immortalitate Animorum*, quam edidimus anno 1770. *pag.* 77. *not.* 88.

CAPUT X.

Prop. X. *Suprema rerum omnium Caussa infinitam obtinet sapientiam.*

D. HUjus Propositionis Demonstratio ex superioribus Propositionibus fluere videtur. Etenim evidens omnino est infinitum ens, immensum, & infinite intelligens, infinita carere non posse sapientia, quæ in perfecta rerum omnium cognitione locatur. Ens, quod sempiternum est, quod a se existit, a quo omnia profecta sunt, cui referre debent acceptas perfectiones omnes entia, quæ hoc Universo continentur; ens, a quo perpetuo contingentes substantiæ ita pendent, ut ab ipso redigi in nihilum possint (*Schol.* ad *Prop.* IX.), non ne cognoscere perfectè debet, & unico intuitu cernere præterita, præsentia, futura, & possibilia? Non ne comperta habere debet ea, quæ magis conformia, & consentanea sunt bonitatis & sapientiæ legibus? Quoniam vero limites nullos agnoscit ejus potentia, quis tandem cum ejus voluntate bellare poterit, ejusdemque sapientissimis consiliis & decretis adversus resistere? Quod si res ita se habet, quis in divinis ope-

operibus infinitam sapientiam humiliter non veneretur? Verum, ut effugium nullum Atheis relinquatur, ita pressius rem demonstramus.

Ens supremum est infinitum (*Prop.* V.); ergo infinitis locis præsens esse debet; atqui nequit esse ubique per essentiam, quin etiam ubique sit per cognitionem, quæ ab ejus essentia avelli non potest; ergo quemadmodum ejus essentia infinita est, ita quoque ejusdem cognitio infinita intelligi debet. Porro si infinita ejus est cognitio, nihil profecto ejus oculos effugere poterit; omnia distincte, clare, & perfecte ubique intuebitur. Quemadmodum, quia immensitatem obtinet, omnia subit & penetrat, nullaque vel minima pars creatæ substantiæ intelligi potest, quæ in eo non sit, & veluti ab ipso non vinciatur; ita etiam, quia ejusdem cognitio fines non agnoscit, omnia nuda atque aperta ejus oculis esse cogitandum est, adeout in rerum omnium naturam & essentiam cognitione sese veluti abdat, & hominum cogitationes, atque secreta cordium sine ullo labore scrutetur. Deinde non modo Deo sistitur quodlibet ens, verum etiam ejus imperio omnia subjiciuntur. Itaque si ea, quæ existunt, cognitione complectitur supremum ens, ad possibilia quoque se se extendere debet ejusdem cognitio.

 Et

Et quoniam Deus solus a se existit, solus est caussa omnium perfectionum, quibus multiplices & diversæ adspectabilis hujus Mundi substantiæ ornantur, patet Deum solum perfectè cognoscere extensionem ejus potentiæ, quam creaturis inesse voluit. Quum porro cernat ipse compositiones quaslibet seu concretiones, divisiones, mutationes, relationesque omnes, quæ inter creatas substantias sunt; quum agnoscat perfecte finem, ad quem singula entia naturâ feruntur, equidem extra dubitationem omnem positum est nullam aliam intelligendi & cognoscendi vim in supremo ente intelligi posse præter eam, quæ infinita sit, ita sane, ut quod melius sit, quod aptius sit in qualibet hypothesi, quodque certissime conducere valeat ad eum, quem sibi proposuit finem, intueatur, & sine ullo erroris metu cognoscat. En paucis notionem, quæ, ut arbitramur, infinitæ sapientiæ vocabulo subjecta est. Quamobrem intellectâ in ente a se existente potentiâ infinitâ, oportet quoque, ut in eo infinitam sapientiam admiremur.

Schol. Ad demonstrandam infinitam entis supremi sapientiam minimè hic utimur argumento ducto ex perfectionibus hujus Mundi, ex Phœnomenis, ex mira rerum omnium va-

rietate, ex pulchritudine, ex ordine, quarum rerum aſpectus ipſe ſatis indicat Deum aliquem eſſe. Id docte & eleganter omnes fermè veteres & recentiores Philoſophi præſtiterunt. *Cæleſtem ergo admirabilem ordinem, incredibilemque conſtantiam, ex qua conſervatio & ſalus omnium omnis oritur, qui vacare mente putat, is ipſe mentis expers habendus eſt*. Verba ſunt Tullii, quæ habes *Lib*.II. *de Nat. Deorum*.

CAPUT XI.

Prop. XI. *Ens, a quo omnia pendent, eſt neceſſario infinitè bonum, infinitè juſtum, infinitè verax; &, ut paucis rem complectamur, omnes obtinet perfectiones, quæ morales appellantur, quæque decent Supremum Factorem & Dominum omnium*.

D. I. SUpremum ens ita exiſtit, ut ſibi ipſi omnino ſufficiat (*Prop*. VI.), & infinitam, qua fruitur, beatitatem locatam agnoſcat in perfectionibus infinitis, quibus carere nunquam poteſt; ergo intelligimus ab ipſo ita conditum fuiſſe Mundum, ut eſſent entia, quæ particulam quamdam ex

haberent. Itaque pro varia ſubſtantiarum natura ens infinite ſapiens alios atque alios perfectionis gradus creaturis tribuiſſe facile agnoſcimus; adeoque in homine, qui libertate præditus eſt, magis explendeſcere divinas perfectiones, quam in ſubſtantiis, quæ & libertatis & cognitionis expertes ſunt, dijudicamus. Et quoniam beatitatis deſiderio ita homo tenetur, ut eo carere nunquam poſſit, quis unquam negabit ita eum eſſe a natura comparatum, ut, ſi rectè libertate utatur, & malefactis abſtineat, beatitudinem tandem, quam vehementiſſime optat, in Deo ipſo omnium perfectionum fonte reperire debeat? Sed ens ſupremum infinite bonum eſſe, nimirum immutabilem ad benefaciendum creaturis inclinationem, eamque perfectiſſimam obtinere, facili negotio intelliget, qui ſibi ſuaſerit Deum ex neceſſitate ſuæ naturæ nullius prorſus creaturæ indigere; nam perſpicuum ſane fit malitiæ, odii, invidiæ, omniumque poſſibilium cauſſarum, ex quibus id, quod vocamus malum, proficiſci ſolet, quæque, ut ſatis patet, oriuntur tantummodo ex indigentia, imbecillitate, & imperfectione, earum, inquam, rerum vel levem ſuſpicionem locum nullum habere poſſe in ente ſupremo.

Quam-

Quamobrem immutabilem & perfectissimam semper bonitatem in eo conservari quis unquam negaverit?

II. Æquitatis regula, ut omnes norunt, sita est in natura rerum, & in relationibus necessariis, quibus omnia colligantur. *Actualis* autem justitia, nimirum virtutis hujus actus aptari debent variis rerum naturis, variisque earumdem proprietatibus. Atqui ens infinite sapiens, cujus oculos ea æquitatis regula effugere nequit, cujus judicia infallibilia sunt; ens, quod perfectissimè justitiæ naturam perspectam habet, quod potentiam infinitam exercendi justitiam obtinet, quod tandem neque fraus, neque dolus, neque timor, neque aliud quodlibet commovere possunt, atque huc illuc rapere, hujusmodi, inquam, ens necessario ita semper agit, ut ejus actiones cum justitia perfectè consentiant, neque iniquitas, præjudicia, & personarum acceptio easdem gignere, aut certe iis sese admiscere unquam valeant. Ergo clarum sit infinitam justitiam esse in ente, a quo omnia pendent.

III. Ens illud verax necessario est, a quo necessario absunt inconstantia, metus, oblivio, & ea, quæ vocatur judiciorum

præcipitatio; atqui ab ente, quod sibi plenissime sufficit (*Prop.* VI.), quod est infinitè sapiens (*Prop.* X.), infinitè bonum, infinitè justum, hæc omnia abesse necessario debent, ut satis constat; ergo illud idem infinite verax esse debet, nimirum fideliter omnia implere, quæ pollicetur, & datam fidem liberare, atque in iis, quæ revelat, a veritate nunquam declinare vel tantillum debet.

IV. Quoniam vero suprema rerum omnium caussa hujusmodi perfectiones ex necessitate naturæ manantes obtinet, obscurum profecto nemini esse poterit omnes alias perfectiones, quæ *Morales* vocantur, eâdem continerі; alioquin vel de infinita bonitate, vel de infinita justitia, vel de infinita veritate actum plane esset.

CAPUT XII.

Prop. XII. *Deus existit*.

D. Aliquod ens ab æterno extitit (*Prop.* I.), illudque independens & immutabile ab æterno extitisse intelligitur (*Prop.* II.), ita sane ut nullam habuerit

rit existentiæ caussam extrinsecam (*Prop.* III.); idemque sempiternum esse (*Prop.* IV.), esse infinitum & omnipræsentiam habere (*Prop.* V.), esse debere unicum (*Prop.* VI.), intelligendi vim (*Prop.* VII.), & libertatem (*Prop.* VIII.), & infinitam potentiam obtinere (*Prop.* IX.), infinitam obtinere sapientiam (*Prop.* X.), esse neceessario bonum, justum, verax, & omnibus præditum esse perfectionibus, quæ decent supremum conditorem & dominum omnium constat (*Prop.* XI.); Ergo existit Deus (*Def.* VI.). Jure itaque optimo post hæc ita loquitur Clarkius (*a*): *C'est donc en vain que les ennemis de Dieu & de la Religion se glorifient d'avoir la Raison de leur côtè. Cette Raison qu'ils pronent tant, & dont ils se vantent de suivre de point en point le lumieres, n'est point pour eux.*

Videant quid ad hæc respondere possint Hobbesius & Spinoza. Itaque & refellere eos, & refelli sine iracundia parati sumus. Audiamus ergo præcipua argumenta, quæ adversus Dei existentiam ab Atheis afferri solent; nam pleraque alia, quæ Cudvvorthus

(*Syst.*

(*Syst. Intell. sect.* 1. *cap.* 5. §. 101. & *seqq.*) protulit vix digna anicularum lucubratione, habentur. Ut autem commodius disputatio explicetur, nonnullas selegimus Propositiones, quæ hujusmodi sunt. Utinam tam facile vera invenire possemus, quam falsa convincere.



PRO-

PROPOSITIONES
SELECTÆ
Quas Disputationi subjicimus.

I. ENs a se existens necessariò intelligens est, liberum, & omnipræsentiam habet.

II. Optime in Deo consociantur immutabilitas, & libertas; & mala omnia, quibus undique premimur, minimè pugnant cum ejusdem bonitate, sapientia, omnipotentia.

III. Argumentum, quo in *Prop.* VI. demonstrat CLARKIUS Ens a se existens necessario esse debere unicum, mirificè se se sustinere arbitramur. Itaque minimè movemur iis, quæ adversus illud argumentum, Atheorum nomine, affert Cl. Anonymus in Epistolis ad Clarkium datis anno 1713., quæ habes ad calcem *Tom.* I. *de l' Existence & des Attributs de Dieu*, *des devoirs de la Religion Naturelle*.

IV. Complures in ea sunt hæresi, ut putent Supremi Numinis existentiam demonstrari posse ope tantummodo implorata ex Naturæ Phœnomenis. At quoniam ii, qui pro Atheismo pugnarunt, Dei ejusque attributorum existentiam iis argumentis evertere conati sunt, quibus ægerrimè obsistere possis nisi *a Priori*, ut vocant, arguas, profecto dignam commendatione arbitramur methodum, quam secuti sumus in demonstranda Dei existentia. Equidem Dei Æternitas, Immensitas, Unitas, quæ principium est totius Naturalis Religionis, demonstrari nequeunt, nisi argumentum petas ex natura caussæ, quæ a se & necessariò existat.

Disputabuntur publice in Aula Palatii Archiepiscopalis Mont. Regal. Anno MDCCLXXII. *Mense Jun. Die*

F I N I S.